QVAESTIONES GRAMMATICAE

In Compendium digestæ ad rudiorum ingeniorum faciliorem captum, & ad Præceptorum cujusvis latinæ Grammaticæ perviam intelligentiam, ex plurimis tum veterum tum recentiorum Scriptorum monumentis excerptæ & nunc in lucem editæ.



Libri duo.

Authore Georgio Lightbodio,

Liber primus Etymologiæ *præcepta illustrat.*

Hunc librum academiae Edinburgenae
Contulit
...
1628



EDINBVRGI

Excudebat *Iohannes Wreittoun* Typographus, 1628.

Clarissimo Domino *GVLIELMO COCKBVRNO*, Langtoni Comarcho, Militi Bannareto *Salutem plurimam dicit* G. L.

CVm primum animum induxi (Comarche Clarissime) *hunc libellum literulis quampaucissimis notatum publicis iuris facere, non me præterierunt rationes non paucæ, cur hoc opusculum patrocinio tuo ac tutelæ concrederem. Imprimis quod bonarum literarum amatorem, fautorē & defensorem te tua quotidiana in literis exercitationes ostendant, deinde prolem tuam generosam; omni honesta disciplina genere, præcepsq; Philosophicis erudiendam obnixe studeas ac labores Tertio non me parum excitaverunt amicitia & necessitudinis vincula, quibus multis modis cogor nomen tuum huic opusculo præscribere. Deniq; (quod omnium summum est) ardor & desiderium animi tui, quo non solum optas, sed etiam quantum fieri potest vrges & propellis, vt animi dona quæcunq; in divini nominis gloriam & reip. vtilitatem redundare possint, vbiq; e latebris prodeant. Quare has quæstiunculas quamvis libelli nomine indignas, nominis tui splendore illustrare digneris Deum Opt: Max. tibi in Christo per Spiritum suum propitium & benignum fore: Hoc & in futuro seculo precor: Amen.*

Epistola ad Lectorem.

SI quis ingenuus ac candidus Lector, hæc vel extremis oculis perlustrare conetur, ac de ratione latinam Grammaticam docendi nunc mihi proposita quicquam ambigere inceperit. Sciat me generalia hæc præcepta tenellis ingeniis exhibuisse, omnes omnium artium & scientiarum liberalium institutores imitatum; qui cum scientiarum documenta plenissima summo labore, summaq; industria discipulorum animis infigere conati sint. Tandem huc omnes redire coguntur, vt per interrogationes discentium ingenia tentando & explorando excolant. Nec solum huius rei veritas patet in Philosophia, sed & in sacrosancta Theologia, Doctores in Philosophica, Pastores in Theologica cognitione suos discipulos progressum nunquam facere experiuntur, nisi primo ad interrogata a suis eruditoribus proposita prompte & intrepide respondeant. Quare quo facilius in cognitione grammaticali rudiorum ingenia paratiorem suis institutoribus respondendi copiam habeant: hanc meam operam ac minimi nominis & pretii laborem addere non abnuo. Huic meæ curæ ingenuum ac pium Lectorem lectori felicitatem æternam optans, idq; a Deo per Christi solius sanguinem, Amen. 6. Cal. Aprilis. 1628.



VAM artem profiteris? Grãmaticam. *Quid est Grammatica?* Est ars recte scribendi & recte loquendi: *Vnde dicitur Grammatica?* A Gramma. *Quid hoc est?* A litera. *quare Grammatica nomen habet a literis?* Quia a literis incipit vnde fiunt syllabæ dictiones & orationes. *Quotuplices sunt partes Grammaticæ?* Duplices. *Doce?* Essentiales & accidentale. *Quot sunt partes Grammaticæ essentiales?* Quatuor. *Doce?* litera, syllaba, dictio & oratio *Quot sunt partes Grammaticæ accidentales?* Quatuor. *Doce?* Orthographia, Prosodia, Etymologia & Syntaxis. *Orthographia quid est?* Est recte scribendi peritia: *Cui parti integrali grãmaticæ debetur Orthographia?* Debetur literæ. *Quid est Prosodia?* Est carminis & accentus notitia: *Cui parti integrali debetur?* syllabæ. *quid est Etymologia?* Est scientia ostendens veram dictionis originẽ cum reliquis accidentibus *Cui parti integrali debetur?* Dictioni. *quid est Syntaxis:* Est debita partium orationis inter se compositio. *Cui parti integrali debetur:* Orationi. *Quæ est prima pars Grammaticæ integralis?* litera. *Vnde dicitur litera?* a litura. *Quid est litera?* Est minima pars vocis quæ scribitur individua. *Dicitur ne aliter litera?* Etiam. *Quomodo?* Elementum. *quare?* Quia vt corpus constat ex quatuor elementis ita syllabæ & dictiones constant ex literis

Quotuplices sunt literæ? Duplices. *Doce?* Vocales & cõsonantes *Quid est Vocalis?* Est litera quæ per se vocem edit. *Quot sunt vocales apud Latinos?* Quinq; *Doce?* a, e, i, o, u. *Quot Græcis vocalibus utuntur Latini?* Vna. *Doce?* y. *Quæ syllabæ fiunt ex solis vocalibus?* Dipthongi. *Quid est Dipthongus?* Est compositio duarum vocalium in vna syllaba. *Vnde dicitur Dipthongus?* A dis id est bis & pthongus id est sonus. *Quot sũt diphthongi?* Quinq; *Doce?* æ, œ, au, eu, ei, *Vnde componitur prima dipthongus?* Ex a & e. *Da exemplum?* Vt musæ. *Vnde componitur secunda diphthongus?* Ex o & e. *Da exemplum?* Vt Cœlum. *Vnde componitur au?* Ex a & u: vt audio. *Vnde componitur eu?* Ex e & u. *Da exemplũ?* Vt euge. *Vnde componitur ei?* Ex e & i. *Da exemplũ?* Vt hei *Quid est cõsonans?* Est litera quæ solum cum vocali sonare potest. *Quot sunt consonantes?* Sedecim. *Doce?* b c d f g l m n p q r s t x z *Quotuplex est consonans?* Duplex *Doce?* Mutæ & semivocalis. *Quot sunt mutæ* novem, *Quæ?* b c d f g k p q t. *Quare dicuntur mutæ?* Quia respectu aliarum literarum parum sonant. *Quot sunt semivocales?* Septẽ *Quæ* l m n r s x z *Quare dicuntur semivocales?* Quia plenam vocem non habent, vt vocales & clarius sonant quam mutæ. *Quomodo dividuntur semivocales?* In liquidas & duplices consonantes. *Quot sũt liquidæ?* Quatuor. *Doce.* l m n r. *Quare dicuntur*

ntur liquidæ? Quia postpositæ utis sinunt precedentem vocalem orripi tanquam liqueant, & consonantium vim perdant, vt pharetra, volucris. *Quot sunt duplices consonantes?* Duæ. *Quæ?* x & z. *Quid est duplex consonans.* Est quod duarum consonantium loco ponitur. *Quot modis ponitur x loco duarum consonantium?* Duobus modis. *Primo?* Ponitur pro cs vt nex pro necs. *Secundo?* pro gs *Da exemplum?* lex, Rex, pro lecs, recs. *Quot modis ponitur z. pro duabus consonantibus?* Duobus modis, *Primo?* pro ds vt patrizo pro patridzo. *Secundo?* Pro duplici ss vt Græcizo pro græcisso, *quot sunt vocales quæ aliquando sunt consonantes?* Duæ. *Quæ?* i & v. *Quando fiunt consonantes?* Quando præponuntur vocalibus in eadem syllaba. *Da exemplum vbi i præponitur i?* vt reicio. *Da exemplũ vbi i præponitur aliis vocalibus?* Vt iocus, Iuno, iam, iecur. *Da exemplum vbi u præponitur u?* Vt vultus. *Da exemplum vbi u præponitur aliis vocalibus?* Vt vanitas, veritas, vita, volo. *Fitne i aliquando duplex consonans?* Etiam. *Quando?* Cum ponitur inter duas vocales *Da exemplum.* Vt aio, meio. *An h est litera?* Non *Quid ergo?* nota aspirationis *Quot sunt literæ quæ non admiscentur dictionibus latinis?* Tres *Doce?* k y z. *Quæ dictiones vtuntur his literis?* Græcæ dictiones. *Quare?* Quia sunt literæ Græcæ. *Habentne latini aliquam harum literarum vsum?* Etiam. *Quando?* Cum vtũtur Græcis dictionibus in latina oratione.

Quid fit ex literis? Syllaba. *Quid est Syllaba?* Est sonus vnius vel plurium literarũ sub vno spiritu. *Quotuplices sunt syllabæ apud Latinos?* Sextuplices. 1 Vnius literæ, vt a. 2. duarum literarum, vt ab. 3 trium literarum, vt abs. 4. quatuor literarum, vt mons. 5. quinq; literarum, vt frons. 6. sex literarum, vt stirps. *Quot sunt syllabarum affectiones?* Duæ *Doce.* Tempus & accentus. *Tempus quid est?* Est mora qua exprimitur syllabæ quantitas. *Quotuplex est Tempus?* Duplex. *Doce?* Longũ & breve. *Sylaba longa quid est?* Est quæ constat duobus temporibus: vt parvos. *Quid est brevis?* Est quod constat vno tẽpore, vt pius. *Accentus quid est?* Est mora qua syllaba efferendo attollitur vel deprimitur *Quotuplex est accentus?* Triplex. *Doce?* Acutus, gravis & circũflexus. *Acutus quid est?* Est qua syllaba attollitur, vt Dominus. *Quæ syllaba attollitur hic?* Do. *Quid est gravis accentus?* Est quo syllaba deprimitur: vt male. *Quæ syllaba deprimitur in voce male?* le *Quid est circumflexus?* Est quo syllaba tractim effertur, ita vt attollatur & deprimatur. *Da exemplum?* vt aptarunt. *Quæ sylaba circumflectitur hic?* ta. *Quotuplices dictiones accentum acutum habent?* Quadruplices: 1. voces

es monoſyllabæ, vt ſpes, res. 2. Polyſyllabæ habentes duas ſyllabas tantum acuunt primã, vt bonũ, 3. Hyperdiſſillabæ, quæ penultimam producunt. *Quam ſyllabã acuunt?* Penultimam, vt docetis 4. Hyperdiſſillabæ quæ penultimam corripiunt *Quam ſyllabam acuunt?* antepenultimam, vt legimus. *Quæ ſyllabæ habent accentũ graVem?* Omnes quæ non habent acutum. *Quæ ſyllabæ habent accentum circumflexum?* Ille accentus nunc non eſt in vſu apud latinos. *Quando fuit in Vſu?* Olim. DICTIO. *Quid fit ex ſyllabis?* Dictio. *Quid eſt dictio?* Eſt pars orationis aliquid ſignificans. *Quot ſunt literæ latinæ quæ etiam ſunt dictiones.* Quatuor *Doce?* a e i o. *Quæ pars orationis eſt a?* Eſt Præpoſitio regens ablativum caſũ. *Quæ pars orationis eſt e?* Eſt Præpoſitio etiã regens ablativum. *Quæ pars orationis eſt i:* Eſt præſẽs imperativi verbi eo. *Quæ pars orationis eſt o?* Eſt Adverbium vocandi *Quomodo aliter Vocantur partes orationes?* Genera dictionum. *Quot ſunt genera dictionũ?* Octo. *Doce?* Nomen, Pronomẽ, &c. *Quotuplices ſunt partes orationis?* Duplices. *Doce?* Declinabiles & indeclinabiles. *Quot ſunt partes declinabiles?* Quatuor, *Doce?* Nomen, Pronomen, Verbum, Participium. *Quot ſunt indeclinabiles?* Quatuor *Doce?* Adverbium, Præpoſitio, Interiectio, Coniunctio. *Quot partes declinantur per genera numeros & caſus?* Tres: *Doce?* Nomen, Pronomen, & Participium. *Quot partes declinantur per modos tempora & perſonas?* Vna. *Doce?* Verbum.

NOMEN.

QVot ſunt conſideranda in nomine? Tria. *Doce?* Definitio, diviſio & accidentia. *Defini Nomen?* Eſt pars orationis quâ res quæq; appellatur &c. *Quotuplices ſunt res.* Duplices. *Doce?* Quæ cadunt ſub ſenſum, & quæ non cadunt ſub ſenſũ. *Quot ſunt ſenſus?* Quinque. *Doce?* Auditus, viſus, olfactus, guſtus & tactus. *Da exemplum de rebus quæ cadunt ſub ſenſum*, vt lapis. *Sub quibus ſenſibus cadit?* ſub viſu, tactu & auditu, ſi cadat in aliud corpus. *Da nomen rei quæ cadit in omnes ſenſus?* Vt zinziber. *Quomodo Videtur?* colore. *Quomodo tangitur?* Eius durities tangitur manu. *quomodo cadit in olfactum?* Odore. *quomodo guſtatur?* Sapore *quomodo auditur?* Sono, ſi cadat in chartam vel rem aliam reſonantem. *Da exemplum de rebus quæ non cadunt ſub ſenſum?* Vt anima, angelus, ſpiritus. DIVISIO. *quot modis dividitur nomen?* quinq; modis. *Primo*, in ſubſtantivum & adiectivum. *Vnde ſumitur hæc diViſio?* A vi quam habet nomen ſubſiſtendi in oratione. *quid eſt ſubſtãtiVũ?* Eſt cuius ſignificatio abſq; alio addito intelligi poteſt. *quibus interrogatiVis reſpondent ſubſtãtiva?* Interrogativis quis, quæ & quid. *Da exemplum?* Vt quis eſt conſul: Cicero. *quid eſt adiectiVum?* Eſt cuius ſignificatio abſque

alio addito intelligi non potest. *Da exemplũ?* Vt albus. *quibus interrogativis respondet adiectivum?* Interrogativis quantus & qualis, *Da exemplum? vt qualis est consul?* Egregius. *quanta est syllaba ex?* Est longa. *quotuplex est substantivum?* Duplex. *Doce?* Proprium & Appellativũ. *quotuplex reperitur Adiectivum?* Triplex. *Doce?* Nomen,-Pronomen & Particip. Secundo, *quomodo dividitur nomen?* In proprium & appellativum. *Vnde sumitur hæc divisio?* Ab amplitudine significationis. *quid est proprium?* quod vnam rem singulam significat. *quid est appellativum?* quod rem multis communem significat. *An hæc divisio cõpetit omnibus nominibus?* Etiam. *An competit Adiectivis?* Etiam. *Da exemplum de adiectivis propriis.* Vt delius, delia, delium. *quid significat?* quicquid ad insulam Delum pertinet. *Da aliud exemplum?* Vt Herculeus, Ciceronianus. *quot sunt species propriorum nominum?* quatuor, *Doce?* prænomen nomen, cognomẽ & ag. nomen. *quid est prænomen?* Est quod honoris causa præponitur. *Da exemplum?* Vt Marcus, Publius. *quid est nomen?* Est proprium cuiusque rei vocabulum. *Da exemplum?* Vt Virgilius Tullius. *quid est cognomen?* Est familiæ & cognationis nomen *Da exemplum?* Vt Cicero, Maro. *quid est agnomen?* Est quod ab eventu imponitur. *Da exemplum?* vt Torquatus, Naso. Tertio, *quomodo dividitur nomen?* In primativum & derivativum. *Vnde sumitur hæc divisio?* A mutatione nominis per formationem. *quid est Primitivum?* quod non formatur ab alio. *Da exemplum?* vt humus. *quid est derivativum?* quod formatur ab alio *Da exemplum?* vt humilis. *A quot partibus orationis derivatur nomen?* A sex partibus, 1. a nomine, *Da exemplum?* vt nigredo a niger. 2. a Pronomine? vt ipsissimus ab ipse. 3, a verbo, vt lectio a lego. 4. a participio, vt reverendus a reverens. 5 ab adverbio, vt hodiernus ab hodie. 6. a præpositione, vt propior, proximus, a prope. *quotuplicia nomina derivantur a nominibus?* Duplicia. *Doce?* Substantiva & Adiectiva. *quotuplicia substantiva derivantur a nominibus?* Duplicia. *Doce?* quæ significãt minutionem aut mutationem significationis primitivi. *quomodo vocantur derivata substantiva quæ significant minutionem?* Vocantur diminutiva. *quot de causis fiunt diminutiva?* Tribus. *Primo,* Causa adulationis. *Da exemplum?* Vt a caput, capitulum. 2 causa contemptionis, vt ab homo homunculus. 3 causa significationis: vt a liber libellus *quotuplicia sunt diminutiva?* Duplicia. *Doce?* Substantiva & Adiectiva. *quotuplicia sunt substantiva diminutiva?* Tredecuplicia. *Primo?* In ulus vt igniculus, ab ignis. 2. in ellus vt agellus ab ager. 3 in illus vt lapillus a lapis. 4. in olus vt vrceolus ab vrceus. 5. In ella vt pagella a pagina. 6. In illa vt

fa-

favilla, a fax. 7. Inola vt filiola a filia. 8 In ula vt sylvula a sylva. 9, in ellum vt flagellum a flagrum. 10, in illum ut sigillum. a signum 11. In ulum, vt capitulum a caput, 12. In cio, vt homuncio ab homo. 13, In aster, vt poetaster. *quotuplicia sunt diminutiva adiectiva?* Triplicia, Primo, In ellus a, um. Vt tenellus a tener, 2. In vlus, a, um: vt masculus a magnus. 3 in illus. a, um, vt tantillus a tantus. *Suntne quedã diminutiva formata ab alijs diminutivis?* Etiam, *quotuplicia sunt?* Duplicia. *Doce*: 1 Substantiva, vt puellula a puella, 2: Adiectiva: vt tenellulus a tenellus. *Substantiva derivata quæ mutant significationem primitivi quotuplicia sunt?* Decuplicia, *Primo*? Nomina abstracta. *Abstractũ quid est*: Est substantivũ derivatũ essentiam rei notans. *A quotuplicibus nominibus derivãtur abstracta.* A duplicibus *Doce.* A substantivis & Adiectivis *Da abstractum derivatũ a substantivis*: Vt a puer pueritia. *Da abstractum derivatum ab adiectivis*: Vt iustitia a iustus. *Nominũ abstractorum quot sunt terminationes*: Octo *Primo*: In tas vt pravitas a pravus. 2, in tia vt clementia a clemens. 3, in ia absq; t, vt insania ab insanus. 4, in do: vt dulcedo a dulcis, 5, In um: vt calvitium, a calvus flagitium a flagrum. 6. in es, vt mollities a mollis 7, In us, vt iuventus a iuvenis. 8, In is, vt tyrannis, a tyrannus. *Secundo, quæ substantiva derivata mutant significationem primitivi:* Nomina Localia. *quotuplicia sunt talia*: quadruplicia. *Primo*: quæ significant locum materiam continentem. *In quem terminationem desinunt*: In arium, *Da exemplum*: Vt armarium ab arma, calamarium, a calamus 2 quæ significant locum nascendi & desinunt in tum: Vt rosetum a rosa, spinetum a spina, salicetũ a salix 3 quæ significãt mansionem, vel habitationem, & desinunt in le: vt equile ab nomine equus. Ovile ab ovis. 4. quæ significant locum operandi & desinunt in ina, vt officina ab officium, aurificina ab aurifex. *Tertio, quæ Substantiva derivata mutant significationem primitivi*: Nomina Patronymica. *quotuplicia sunt*: quadruplicia. 1, In as, vt Phaetontias a Phaeton 2, in es vt Æneades ab Æneas. 3, In is vt Peleis a Pelides. 4, In ne vt Nerine a Nereus, *Patronymica masculini generis quotuplicia sunt.* Simplicia, *Doce*: Nomen in des. *Fœminini generis quotuplicia sunt*: triplicia. *Doce*: Nomina in as, is, ne. *Patronymicum quid est*: Est quod a nomine patris & improprie ab aliis derivatur. *quarto, quæ substantiva derivantur a nominibus, & mutant significationẽ primitivi*: quæ alterum sexum notant. *Da exemplum*: vt leæna a leo, Caupona a Caupo. *quinto*: quæ excessum naturæ notant: vt capito a caput. Naso a nasus. *Sexto*, quæ corruptionem notant: ut ærugo ab æs, ferrugo a ferrum: *Septimo*: *quæ multitudinem notat*; Vt clientela, notat multi-

titudinem clientium: *Parentela* multitudinem parentum & maiorum: *Octavo*, quæ pertinere notant: vt patrimonium, matrimonium, vadimonium: *Nono*: quæ & artificem notant: vt aurarius, vestiarius, calcearius. *Decimo*: quæ tegmenta vel vestimenta notãt: Vt calceus a calx: Caputiũ a caput: cervical a cervix: Testudo a testa: femurale a femur, *quotuplicia Adiectiva derivantur*: Decuplicia: *Primò*: quæ materiam notant: *quotuplicia materiã notant*: quadruplicia: *Primo*: nomina in eus, vt aureus ab aurum, Herbaceus ab herba: 2, Nomina in itius, vt cratitius a cratis, cœmentitius a cœmentum: 3: In nus, vt quernus a quercus: 4, In inis penultima brevi, vt faginus, adamantinus *Secundo, quæ Adiectiva derivantur a nominibus*, quæ desinunt in inus penultima longa: *quotuplicia sunt*: Duplicia. 1, quæ notant qualitatem: vt leoninus, libertinus. 2 quæ notant tempus, vt vespertinus serotinus: *Tertio, quæ Adiectiva derivantur a nominibus*: quæ desinunt in osus: *quid denotant*: Excessum vel plenitudinem: vt studiosus, vinosus: *quarto*: In anus *quid denotat* possessionem: vt montanus, qui montẽ inhabitat: Sylvanus qui sylvã habitat *quinto*: quæ desinunt in tus *quid significat*: habitum vel amictum: vt nasutus a nasus: pellitus a pellis, pileatus a pileus, *Sexto*: quæ statum vel conditionem significat: vt herilis, servilis, regius, rusticus, forensis, *Septimo*: quæ modum notant: vt furtivus a furtum, festivus a festum: *Octavo*: quæ proclivitatem significant: vt vinolentus, a vinum, herbidus ab herba, vividus a vivus: *Nono*: quæ denotant pertinere: *quotuplicia sunt*: Octuplicia, *Primo* in lis, vt mortalis, triumphalis. 2 In aris, vt militaris, consularis: 3 In arius, vt aurigarius, sexagenarius 4, In imus, vt patrimus, maritimus legittimus: 5 in ber, vt saluber: 6 In ster, vt pedester, 7, In cer, vt mediocer, id est, pertinens ad medium 8: In us, vt honestus, i, pertinens ad honorem, modestus pertinens ad modum Decimo, *quæ Adiectiva derivantur a nominibus*: Numeralia, vt sextus a sex, duplex a duo: *Verbale nomen quid est*: quod derivatur a verbo, *quotuplicia sunt verbalia*: Duplicia, Doce: substantiva & Adiectiva, *quotuplicia substantiva derivantur a verbis*: Octodecuplicia, *Primo*: in tor, vt lector, a lego, 2. In trix, vt lotrix a lavo: 3: In io vt dictio: 4: In sor, vt tonsor, a tondeo, 5: in us vt visus a video: 6: in ra vt scriptura a scribo, 7. in um, vt flabrum a flo, periculum a perio, 8 in la, vt querela a queror: 9, In go, vt vertigo a verto 10. in do vt libido a libet: 11: in le vt cubile a cubo: 12, in en, vt flumen a fluo. 13. in na: vt lucerna a luceo. 14. in ba: vt Scriba a scribo. 15.. in es: vt cædes a cædo. 16. in is: vt tussis a tussio. 17 in u: vt tonitru a tonat. 18. in la vt cautela a caveo. Quotuplicia Adie-

ectiva derivantur a verbis. Duplicia: *Doce?* Adiectiva activæ significationis & passivæ. *Da exemplum de verbalibus activa significationis?* vt potens a possum. *Da exemplum de verbalibus passiva significationis.* vt formidandus a formido. *quarto, quomodo dividitur nomen.* In simplex & compositum *Vnde sumitur hac divisio.* A figura. *quid est simplex* quod non componitur ex pluribus dictionibus. *Cum quot partibus orationis componitur nomen.* Cum sex. *Primo.* Cum nomine. *Da exemplum.* Vt respublica. 2, cum pro nomine: vt huiusmodi. 3. cum verbo: vt crucifigo a crux & figo. 4. cū participio: vt crucifixus. 5. cum Adverbio: vt bipes a bis & pes. 6. cum præpositione: ut inutilis. *quinto, quomodo dividitur nomen* In interrogativum, relativum, infinitum, collectivum, numerale. *Vnde sumitur hac divisio.* A vario modo significandi. *An hac divisio competit omnibus nominibus.* Non. *Interrogativum quid est.* quod de re aliqua quærit: vt quis. *Relativum quid est.* quod refert aliquod antedictum: vt alius. *quid est infinitum.* quod incertum quid significat: ut quis. *qua nomina sunt infinita.* Ipsa interrogativa, cum nec quærunt, nec repetunt aliquid prædictum. *Da exemplum* Vt si quis sit error, antevertunt Lyncea visu *Collectivū quid est.* Est quod in singulari multitudinem significat: vt populus, turba, *Sunt-ne nomina in plurali rem vnam significantia?* Etiam. *Cedo exemplum?* Vt Calendæ. *Numerale quid est.* Est per quod numeramus. *quotuplicia sunt numeralia.* Sextuplicia. 1. Cardinalia: vt unus, duo, tres *Quid est nomen numeri cardinalis?* Est quod simpliciter numerum significat. 2. Ordinalia. *Quid est nomen numeri ordinalis.* quod significat ordinem in numero. vt primus, secundus. 3. Distributiva. *Quid est nomen distributivi numeri?* quod partitionem notat: vt singuli, bini, terni. 4. Multiplicativa. *Multiplicativum quid est.* quod multiplicationem denotat: vt simplex, duplex, &c. 5. Ponderalia. vt binarius, ternarius, quaternio. 6. Temporalia: vt biennis, triennis 7. Proportionalia vt duplus, triplus. *Quod est interrogativum numeri cardinalis.* quot. *Interrogativum numeri ordinalis quod est.* quotus *Quod est interrogativum distributivi.* quoteni *Interrogativum multiplicativi quod est.* quotuplex. *Interrogativum proportionalis quod est.* quotuplus *Interrogativum temporalis quod est.* quotennis. Reliqua vide postea vbi de singulari & plurali.

DA ACCIDENTIA NOMINI:

Declinatio, genus, numerus, casus, & comparatio. *Declinatio quid est* Est finalis syllabæ variatio per casus. *Prima Declinatio quomodo*

do dignoscitur? Per genitivum singularem & dativum in æ dipthongon. q*uotuplices terminationes habet Nominativus sing. primæ declinationis?* Triplices. *Doce?* Græcas, Latinas, & Hebræas. *Quot Græcas terminationes habet?* tres, as, es, e. *Da exempla?* vt Æneas, Anchises, Grammatice. *Quot latinas habet?* Vnam. *Doce.* a, vt litera. *Suntne etiam Græca nomina primæ declinationis in a?* Etiam, vt Martha. *Quot Hebræas habet?* Vnam *Doce.* am, vt Adam. *quot terminales literas habet nominativus singularis primæ declinationis?* Tres. *Doce.* a, e, s. vt litera, Circe, Æneas. *SECVNDA declinatio quomodo dignoscitur?* Per genitivum in i, & dativum in o. *Quotuplices terminationes habet eius nom. singularis.* Duplices: Græcas, & Latinas. *Quot Græcas habet?* Tres: eus, os, & on. *Da exempla?* vt Tydeus, Samos, Colon. *Quot Latinas habet?* Quinque. *Doce?* er, ir, ur, us, um. *Da exempla?* ut gener, vir, satur, equus, fanum. *Quot terminales literas habet?* Quatuor. *Doce?* r, s, m, n: ut prosper, porcus, pomum, Pelion. *QVOMODO dignoscitur tertia declinatio?* Per genitivum in is, & dativum in i. *Quot terminales literas habet nominativus singularis?* Vndecim *Exempla.* a, ut malagma: e, ut mantile, & c. *QVOT terminales literas habet nom. sing. quartæ declinationis?* Duas. *Doce?* s & u. vt manus, cornu. *Quot terminationes habet?* Duas. *Doce* us & u: vt fructus. gelu. *QVOMODO dignoscitur quinta declinatio* Per genitivum & dativum singularem in ei: vt rei *Quot terminationes habet nominativus?* Vnam. Doce: es, vt res. *Quot literas terminales habet?* Vnam. *Doce?* s, vt facies. *GENVS quid est* Est accidens quo discernitur sexus *Quotuplex est genus?* Est triplex *Doce?* Verum & fictum, & ex his compositum *quid est verum genus?* Quod sexum discretum distinguit. *Quotuplex est verum genus?* Triplex. *Doce.* Masculinum, Fœmininum, & commune duum. *Fictum genus quid est?* Est quod attribuitur rebus non habentibus sexum discretum. *Quotuplices res non habent sexum discretum?* Duplices. *Doce.* Quæ nullum sexum habent: vt lapis vel habent sexum incertum, & non facile notum: vt serpens, balæna. *Quotuplex est genus fictum* Duplex. *Doce?* Proprium, & vsurarium. *Quod est proprium genus rerum sine sexu?* Neutrum. *Quæ genera sunt vsuraria?* Omnia reliqua genera si attribuantur rebus sine sexu. *Quod genus est mixtum ex vero & ficto?* Commune trium. *Quare est ex his mixtum?* Quia in communi trium genere masculinum & fœmininum sunt vera genera; Neutrum est fictum. *Quotuplex est genus secundum eminentiam?* Duplex

doce

Doce? Principale & minus principale. *Quot sunt genera principalia?* Tria: Masculinum, fœmininum, & neutrum. *Quot sunt minus principalia?* Quatuor: commune duum, commune trium, promiscuum & dubium. *Masculinum genus quid est?* Quod ad mares pertinet, vel quod adiectivis masculinis iungitur, vt Hercules, *Quis est eius articulus?* Hic. *quid est fœmininum genus?* Est quod ad fœminas pertinet, vel quod adiectivis fœmininis iungitur, vt mater, penna. *Quis est eius articulus?* Hæc *Quid est neutrum genus?* Est quod adiectivis neutri generis tantum iungi solet: vt saxum. *quid est commune duum genus?* Est quod vtrumque sexum discretum denotat, vt bos, sus. *Quos habet articulos?* Hic & hæc. *Quid est commune trium genus?* Quod cum substantivo cuiusvis generis convenire potest: vt velox. *Quos habet articulos?* Hic hæc & hoc *Quid est promiscuum genus?* Est quod denotat vtrumque sexum, sed indiscretum, vt passer, anser, aquila. *Quomodo aliter vocatur genus hoc?* Epicœnum. *Quare?* Quia sub communi genere latet. *Quomodo hoc ostendis?* Quia licet nomina huius generis significent vtrumque sexum, tamen genus eorũ non dignoscitur ex sexu. *Quomodo dignoscitur eorũ genus?* Ex terminatione. *Cuius generis sunt nomina promiscui generis ex terminatione?* Sunt diversi generis. *Quare?* Quia diversas habent terminationes. *Profer exempla?* Vt passer masculinum est sub articulo hic: Aquila, fœminini sub articulo hæc. *Dubium genus quid est?* Quod sub eadem re in vario genere reperitur solo authorum arbitrio. *Quomodo differt hoc genus a promiscuo genere?* Nomina promiscui generis semper vtrumque sexum significant, licet indiscretum. Nomina dubii generis aliquando nullum sexum respiciunt. *Quot articulos habet nomen dubii generis?* Duos. *Quot modis habet duos articulos?* Tribus modis. Primo, habet articulos hic & hæc: vt libanus. Secundo, habet articulos hic aut hoc: vt vulgus. Tertio, hæc aut hoc: vt halec. *Talpa cuius generis est?* Est promiscui generis, si respicias significationem: Est dubii generis, si respicias terminationem.

NVMERVS quid est?

Est accidens cuiusq; rei unitatem & pluralitatem ostendens. *Numeri quot sunt?* Duo: Singularis & Pluralis. *Singularis quid est?* Est qui rem vnam significat, vt homo. *Pluralis quid est?* Est qui plura significat, vt homines. *Suntne nomina singularis numeri quæ plura significant?* Etiam. *Quæ sunt?* Collectiva *Quomodo differt significatio singularis & pluralis numeri in Collectivis?* In singulari Collectiva significant multitudinem: in plurali plures multitudines vt turba, turbæ. *quot*

modis differunt nomina numeralia a singulari & plurali numero reliquorum nominum?. Tribus modis. 1. Numeralia significant certum numerum; singularis & pluralis reliquorum nominum significant incertum numerum. 2. Numeralia significant numerum tantum, reliqua nomina significant aliud præter numerum. 3. Numeralia significant numerum numerantem: reliqua nomina significant rem numeratam.

CASVS quid est?

Est declinationis gradus vocis ad significatum ostendens. *Quotuplex est casus?* Duplex, rectus & obliquus. *Rectus casus quid est?* Est casus vnde transitio procedit. *Quotuplex est rectus casus?* Duplex: primarius & secundarius. *Quis casus dicitur rectus primarius?* Nominativus. *Nominativus quid est?* Est qui rem nominat. *Quis dicitur secundarius?* Vocativus. *Vocativus quid est?* Est quo rem vocamus. *Quid est obliquus?* Est in quem fit transitio. *Quot sunt obliqui casus?* Quatuor. genitivus: dat. accus. & ablativus. *Genitivus quid est?* Est qui reliquos flexione syllabica gignit. *Quomodo aliter vocatur?* Patrius. *Quare?* Quia reliquos procreat. *Vnde dicitur dativus?* A dando. *Quare dicitur dativus.* Quia per eum notatur persona vel res cui aliquid datur, vel adimitur. *Quid est accusativus?* Est qui notat rem, quæ fit, vel causatur. *Vnde dicitur accusativus?* Ab accusando. *Quare?* Quia est casus ad exprimendum rem causatam aptus. *Vnde dicitur ablativus?* Ab auferendo. *Quid est ablativus?* Est quo notatur illud a quo actio emanat, vel a quo aliquid aufertur.

COMPARATIO quid est?

Est rei ad rem collatio. *Gradus comparationis quid est?* Est terminus diminutionis vel auctionis in significatione vocis comparatæ. *Quæ nomina comparantur?* Adiectiva, quorum significatio potest augeri vel minui. *Comparanturne aliquando substantiva?* Etiam. *Quæ substātiva comparātur?* Propria cum notatur aliquod accidens insolitum in rebus. *Exempla.* Vt Nero, Neronior, Salomon, Salomonior. *Quot partes orationis admittunt comparationem.* Sex: 1. Nomen, vt doctus, doctior, doctissimus. 2: Pronomen, vt ipse, ipsissimus. *Da authoritatem?* Ergo ipsus est ipsissimus hinc ab oculis. *Quis author?* Plautus in trinummo. 3. Verbum: *Da exemplum vbi verbum habet vicem cōparativi gradus?* Vt excedo te digito. *Resolve?* Id est, sum longior te digito. *Da exemplum vbi habet vicem superlativi gradus?* Vt excedit omnes longitudine. *Resolve?* Id est, longissimus omnium est. 4. Participia: vt excedens te digito 5. Adverbia, vt docte, doctius, doctissime. 6. Præpositiones: vt ante omnes homines ho-

onorandi parentes. *Pro quo po-itur ante, hic?* Pro superlativo rimus. *Resolve orationem hanc.* d est, primi omnium hominum onorandi sunt parentes. *Quot unt gradus comparationis?* Tres. *Doce?* Positivus, Comparativus, & Superlativus. *Quid est positi-us?* Est qui rem sine excessu significat. *Exemplum:* vt doctus, *Quid est comparativus?* Est qui em cum excessu non summo significat, vt doctior. *Quid est superlativus?* Est qui rem cum summo excessu significat, vt doctissimus. *Nonne comparativus superlativum aliquando superat?* Etiam. *Da exemplum.* Vt Hector fuit fortissimus, sed Achilles fortior. *Quomodo resolvitur Comparativus?* Per Adverbium magis: vt doctior, id est magis doctus. *Quomodo resolvitur Superlativus?* Per Adverbium, valde vel maxime, vt doctissimus, id est, valde vel maxime doctus. *Quot gradus Comparationis formantur?* Duo: Comparativus & Superlativus. *Quot non formantur?* Vnus positivus. *Cur non formatur Positivus.* Quia dat formationem reliquis gradibus. *Vnde formatur Comparativus?* A proximo casu in (i) sui positivi. *Quis est proximus casus in (i) positivi?* Distinguo. *Quomodo?* Si Positivus sit primæ & secundæ declinationis, vel si sit tertiæ tantum. *Si Positivus sit prima & secunda declinationis, quis est proximus casus in (i).* Genitivus. *Da exemplum vbi Comparativus formatur a genitivo?* Vt doctus, genitivo docti, adde (or) sic fit doctior. *Si Positivus sit tertia, quis est proximus casus in (i).* Dativus. *Forma Comparativum a dativo?* Felici, adde (or), felicior. *Vnde formatur Superlativus?* Distinguo. *Quomodo?* Si nominativus positivi desinat in (er) vel non. *Si nominativus positivi desinat in (er) vnde formatur Superlativus.* Ab ipso nominativo: vt pulcher, adde (rimus), pulcherrimus pauper, adde (rimus), pauperrimus. *Si Positivus non desinat in (er), a quo casu formatur Superlativus?* A proximo casu in (i). *Quomodo?* Addendo (s) & (simus): vt docti, adde (s) & (simus), doctissimus: forti, adde (s) & (simus) fortissimus. *Quot modis fit Comparatio?* quatuor modis. *Primo?* Ab vno ad plures sui generis. *Da exemplum?* Vt, medius est digitorum fortissimus. 2. Ab vno ad plures diversi generis: vt Leo est fortior tribus equis. 3. Ab vno ad vnum, per casum significantem vtrumque: vt dextra est fortior manuum. 4. A pluribus ad vnum: vt, Cogitationes sunt Euro velociores. *quot sunt necessaria ad perfectam Comparationem?* quinque: 1. res comparata. 2. res cui comparatur. 3. aliquid in quo fit comparatio. 4: Vt vterq; terminus de accidente in quo fit comparatio, participet. 5. Vt alter terminorum

norum magis participare intelligatur de illo accidente. *Da exemplum vbi hæc quinque necessaria inveniuntur?* Vt, Rex est ditior Comite *quæ est res hic comparata?* Rex. *quæ est res cui comparatur?* Comes. *In quo fit hæc comparatio?* In divitiis. *qui termini participant de divitiis?* Rex & Comes. *quis terminus magis participat de divitiis?* Rex.

PRONOMEN.

QVot sunt consideranda in Pronomine? Tria. Doce? Definitio, divisio, & accidentia. *Defini Pronomen?* Est pars orationis quæ pro ipso nomine posita definitam significat personam. *Vnde dicitur Pronomen?* A pro & nomen. *Quare?* quia ponitur pro nomine. *quare ponitur Pronomen pro nomine?* ne nominis iteratio fastidium pariat.

DIVISIO.

Quot modis dividitur Pronomen. Duobus modis. *Primo?* In demonstrativum, relativum, possessivum, gentile, reciprocum. *Demonstrativum quid est?* Est quod rem demonstrat. *Demonstrativa quot sunt?* Tria: ego, tu sui. *Relativum quid est?* Est quod rem ex præcedente oratione repetit. *quotuplicia sunt Relativa Pronomina?* Duplicia. Doce? Simplicia & composita. *quot simplicia sunt relativa?* quinque: Ille, ipse, iste, hic, is. *Cedo exempla de compositis relativis?* Vt, idem, ille, ipse. *quomodo aliter denominantur Relativa?* Vocantur demonstrativa. *quando?* Cum rem aliquam demonstrant. *quomodo differunt (ille) & (iste) in oratione?* Ille laudem vel rei dignitatem sæpissime innuit: Iste, vero contemptum. *quomodo differunt (hic) & (ille) si simul ponantur in oratione?* Si diversa referant antecedentia: (hic) posteriora & propriora refert, (ille) remotiora & priora. D*a authoritatem?*

Quis neget Æneæ magnâ de stirpe Neronem?
Sustulit (hic) matrem, sustulit (ille) patrem.

Quis author? Ausonius. *In hac oratione, quæ prædicta referunt (hic) & (ille).* (Hic) refert vocem Nero: (ille) vocem Æneas. *Possessiva Pronomina quot sunt?* quinque: Meus, tuus suus, noster, & vester. *quare Possessiva vocantur?* quia per ipsa possideri aliquid significamus. *quod nomen est his simile?* Cuius, cuia, cuium. *Da exemplũ?* Vt, cuium est pecus. *Hæc possessiva quod aliud habent interrogativum?* Genitivum cuius a nominativo quis. *Gentile Pronomen quid est?* Est quod gentem, aut patriam indicat cum differentia certæ personæ. *quot sunt pronomina gentilia?* Duo: nostras & vestras. *quod nomen est horum interrogativum?* Cuias. *Da exemplum?* Cuias est? Nostras. *Responde etiam per nomina?* Cuias est Scipio? Romanus. *Reciproca pronomina quot sunt?* Duo. *Doce.*

Sui

Sui & ſuus. *Cur hæc Reciproca dicuntur*? quia ſui ſignificationem in ſe reflectunt. *Da exempla*? Vt, invidus ſibi nocet, ſe lædit. *Secundo, quomodo dividitur pronomen?* In primitivum & factum. *quotuplex eſt factum*? Duplex: Derivatum & compoſitum. *Primitiva pronomina quot ſunt?* Octo: Ego, tu, ſui, ille, ipſe, iſte, hic, is. *Derivativa quot ſunt?* Septem: Meus, tuus, ſuus, noſter, veſter, noſtras, & veſtras. *A quot primitivis formantur hæc derivata?* A tribus? A quibus? Ab ego tu, ſui. *quot formantur ab ego?* Tria: Meus, noſter, noſtras. *A quo caſu formantur?* A genitivo. *quot formantur a genitivo ſingulari?* Vnum: meus. *Forma?* Nominativo ego, genitivo mei: (i) in (us) meus. *quot formantur a genitivo plurali*? Duo: noſter & noſtras. *Forma?* Nominativus pluralis nos, genitivo noſtrum, (ſtrum) in (ſter): noſter, noſtri, (ſtri) in (ſtras): noſtras. *quot formantur a (tu)*. Tria: viz. Tuus, veſter & veſtras. *Forma*? Nom. Tu, genitivo tui: (i) in (us): tuus. Nom. plurali vos, genitivo veſtrū vel veſtri: veſtrum (ſtrum) in (ſter) veſter: veſtri (ſtri) in (ſtras) veſtras. *quot formantur a (ſui)*. Vnum; ſuus. *Forma*? Genitivo ſui, (i) in (us) ſuus. COMPOSITA.

Quot modis componitur Pronomen? Sex modis. *Primo*? Inter ſe. *quid hoc eſt inter ſe?* Hoc eſt, Pronomen componitur cum Pronomine. *quot modis componitur Pronomen cum pronomine*? Duobus modis. *Doce*. Cum ipſe, & cum hic. *Pronomina quot componuntur cum ipſe?* Tria: ego, tu, ſui. Repete horum compoſita? Egoipſe, tuipſe, ſuiipſius. *Per quot caſus declinantur hæc tria?* Per omnes caſus. *An ſuiipſius declinatur per omnes caſus?* Declinatur per omnes caſus quas vtraq; pars compoſiti habet ante compoſitionem. *Cur non declinatur in nominativo & vocativo*? quia ſui caret his caſibus. *quot Pronomina componuntur cum hic.* Duo: Iſte &, ille. *Repete horum compoſita*? Iſtic & illic *In quibus caſibus declinantur in ſingulari?* In Nominat. accuſat. & ablat. *In quibus caſibus declinantur in plurali*? In Nominativo & accuſativo. *In quo genere declinantur in ſingulari*? In omni genere. *In quo genere declinantur in plurali*. In neutro. *Vnde componitur iſtic*. Ab iſte & hic. *quid deletur in hac compoſitione*. E, deletur in iſte: & h, in hic aliquando deletur. *quid deletur in compoſito illic?* E, deletur in ille: & h, in hic. *Secundo, quomodo componitur Pronomen*. Cum nomine: vt Eiuſmodi, huiuſmodi. *Vnde componūtur*. A genitivis eius, & huius pronominum is, & hic: & a genitivo modi, nominis modus. *Tertio, quomodo componuntur Pronomina*. Cum Adverbio. *Cum quot Adverbijs*. Cum duobus.

Doce.

Doce. Cum Adverbiis, ecce & demū. *Cuius significationis Adverbij sunt.* Ecce est Adverbium demōstrandi: demum Adverbium ordinis. *quot Pronomina componuntur cum Adverbio, ecce.* Duo: is, & ille. *Da compositum ab ecce, & is.* Eccum. *Da compositum ab ecce & ille.* Ellum. *In quibus casibus declinantur.* In accusativo singulari & plurali. *In quo genere.* In masculino & fœminino. *quid significat eccum, eccam.* Id est, ecce eum, ecce eam. *Resolve voces, eccos, eccas.* Id est, ecce eos, &c. *Resolve voces, ellum, ellam: ellos ellas.* Id est, ecce illum, ecce illam & c. *Quarto, quomodo componitur Pronomen.* Cum Coniunctione ne: vt hiccine. *quid additur in hac compositione.* Syllabica adiectio (ci) ponitur inter hic & ne. *Cum (ci) nihil significet, cur additur.* Euphoniæ gratia. *Euphonia quid est.* Est melior, & ornatior sonus. *In quibus præcipuè casibus declinantur hiccine, & similia composita.* In singulari declinantur in nominativo, accusativo & vocativo pro omni genere: in plurali declinantur in nom. & accusativo in neutro genere *Quinto, quomodo componitur pronomen.* Cum Præpositione, cum. *In quo casu inveniuntur illa composita.* In ablativo solum. *Cur inveniuntur in solo Ablativo:* quia Præpositio cum, ablativum solum regit. *Cedo horum exempla* Vt mecum, tecum. *Cur hac quandoq; dicuntur Adverbia personalia:* quia denotant circumstantiam personæ. & non declinantur per diversos casus. *Sexto, quomodo componitur Pronomen?* Cum syllabicis adiectionibus, met, te, tim, ce pte: *Cum hæ Adiectiones nihil significent quis est harum vsus in compositione:* Inserviunt vocum ornatui: *Cur nihil significant* quia non sunt dictiones, *Accidentia Pronomini quæ sunt:* Genus, numerus, persona, casus & declinatio: *Cuius generis sunt omnia Pronomina:* Omnis generis: *quid sibi vult omne genus:* Id est commune trium genus: *Cur commune trium genus, omne genus vocatur* quia in se continet omnia genera principalia, viz, masculinum, fœmininum, & neutrū: *quot modis declinantur Pronomina sub omni genere:* Duobus modis, *quibus:* Vel sub vna terminatione vel sub tribus *quot Pronomina declinantur sub vna terminatione:* quinque, ego tu, sui, nostras & vestras: *quot declinantur sub tribus:* Decem: Ille ipse, iste, hic, is, meus, tuus, suus noster & vester: *De numero & casu vide nomen. Persona quid est* Est res per se vna: *Vnde dicitur persona.* A per se uniendo: *quare* quia est res per se vnius entis: *Cur addis voces per se:* Propter figmenta Ethnicorū quæ sua natura nihil sunt: ac proinde nec ens nec vnum: *Vnde dicitur persona secundum alios.* A personando: *quare:* quia voces personæ frequentius sonant

pe

per omnem orationem quam voces sine persona. *Quæ sunt voces personæ?* Nomina, Pronomina, Verba & Participia. *Quæ voces sunt sine persona?* Voces partium indeclinabilium. *Quot modis capitur persona?* Duobus modis: magis proprie, & minus proprie. *Quando capitur magis proprie?* Cum sermo fit de Deo, de Angelis vel hominibus. *Quando capitur minus proprie?* Cum sermo fit de rebus aliis. *Quot sunt personæ?* Tres: prima, secunda, tertia. *Quid est prima persona?* Est persona loquens. *Quid est secunda persona?* Est persona ad quam fit sermo. *Quid est tertia persona?* Est persona de qua fit sermo. *Quid est designatio personæ?* Est accidens qua designatur prima secunda vel tertia persona. *Quot modis designatur prima persona?* Duobus modis: *Doce?* Vel voce ipsa, vel terminatione vocis. *Da exemplum vbi prima persona designatur voce ipsa?* Vt ego in singulari, & nos in plurali. *Da exemplũ vbi designatur terminatione?* Vt amo, amamus *Quibus vocibus designatur secunda persona?* Vocibus tu in singulari, & vos in plurali, item omnibus vocativis casibus. *Quare designant secundam personam?* Quia res indicant ad quas loquimur. *Da exemplum vbi secunda designatur terminatione?* vt scribis, scribitis *Quibus vocibus designatur tertia persona?* Omnibus aliis vocibus, præter prædictas. *Da exemplum vbi terminatione designatur tertia persona?* Vt legit legitur. *Ego pauper canto, quot personæ sunt?* Primæ *Quare?* quia designant rem loquentem? *Quomodo designant rem loquentem?* Ego designat rem loquentẽ, voce ipsa: Pauper per evocationem, canto per terminationem. *Cum dicimus amo coniugatur per tres personas, item ego lego conveniunt in persona quid significat vox persona in his clausulis?* Significat personæ designationem, quæ fit per terminationes vel voces.

DECLINATIONES Pronominum quot sunt? Quatuor. *Quot sunt Pronomina primæ declinationis?* Tria, Ego, tu, sui *Quomodo dignoscitur prima declinatio Pronominum?* Per genitivum singularem & dativum in i. *Quomodo dignoscitur secunda declinatio?* Per genitivum in ius & dativum in i. *Quæ Pronomina sunt secundæ declinationis?* Pronomina Relativa *Quomodo dignoscitur tertia declinatio?* Per Genitivum in i, æ, i, & dativum in o, œ, o. *Quæ Pronomina sunt tertiæ declinationis?* Pronomina possessiva *Quomodo dignoscitur declinatio quarta?* Per genitivum in is. & dativum in i. *Quæ pronomina sunt declinationis quartæ?* Nostras & vestras.

VERBVM.

Q*Vot sunt consideranda in Verbo?* Tria: definitio, divisio, & accidentia *Defini Verbum*

Est pars orationis, quæ modis & temporibus inflexa, aut agere, aut pati, aut esse significat. *Quot significata habet verbum?* Tria, agere pati, & esse. *Da exemplum vbi verbum significat agere?* vt verbero. *Da exemplum vbi significat pati?* vt verberor. *Da exemplum vbi significat esse?* Vt sum. *Vnde dicitur Verbum?* a verberando. *Quare?* Quia aeris verberatu formatur, & aurẽ sonando verberat. *Vnde dicitur secundum alios.* A veritate. *Quare?* Quia verum nos loqui decet. *Quot modis capitur verbum?* Duobus modis. 1. pro omni dictione. 2. pro tertia parte orationis. *Cur specialiter potius capitur pro tertia quam pro quavis alia parte orationis?* Quia plures voces a se format, quam quævis alia pars orationis, ac proinde plus aurẽ sonando verberat. *Quomodo hoc ostendis?* Primo verbum superat omnes partes orationis propria inflexione viz. per modos, tempora, personas & numeros, 2. omnia Participia a verbo formantur. DIVISIO. *Quot modis dividitur verbum? Sex modis, Primo?* In personale & impersonale *Vnde sumitur hac divisio?* A persona. *Quid est personale?* Quod certis personis distinguitur, vt lego, legis, legit. *quid est impersonale verbum?* Quod diversarum personarum vocibus non flectitur, vt pœnitet, tædet, *Secundo quomodo dividitur verbum?* In substantivum & consubstantivum. *Vnde sumitur hac divisio?* A vi subsistendi in oratione. *Substantivum verbum quid est?* Est quod aliis verbis substat in coniugando & resolvendo. Reliqua vide in libro 2. cap. 17, *Consubstantivum quid est?* Est quod in se includit verbum Substantivum, vel cum substantivo coniugatur. *Da exempla?* vt lætor, id est sum lætus, lætus sum vel fui, *Tertio, quomodo dividitur verbum?* In activum passivum, neutrum. *Vnde sumitur hac divisio?* A significatione. *Quid est activum in hac divisione?* Quod significat agere. vt lego. *Quid est passivum?* Quod significat pati, vt percutior. *Quid est neutrum in hoc loco?* Quod significat esse, vt sum. *An hac divisio competit omnibus verbis?* Etiam. *Quare?* Quia omnia verba vel significant agere, vel pati vel esse. *Quotuplicia verba significant agere?* Quadruplicia. 1. Verba activi generis, vt audio. 2 Verba neutri generis, vt ambulo. 3. verba deponentia, vt loquor 4. Verba communia in activa significatione, vt hortor. *Quotuplicia verba significant pati?* Triplicia. 1. verba passivi generis vt doceor. 2. verba neutrapassiva vt vapulo. 3. verba communia in passiva significatione vt amplector. *Quarto, Quomodo dividitur verbum?* In ea quæ desinunt in o, vel in r, vel in m. *Vnde sumitur hac divisio?* A termininatione. *Quotuplicia verba desinunt in o?* Duplicia: verba activi & verba neutri generis, vt dico, curro. *Quotuplicia desinunt in*

in or? Triplicia, verba passivi generis, verba deponentia & communia. *Quotuplicia verba desinunt in m?* Simplicia, Neutra, vt sum, Quinto, *Quomodo dividitur verbum?* In activum, passivum, neutrum, deponens & commune. *Cur vox generis additur his tribus activum, passivum, neutrum?* differentiæ causa. *Quæ est differentia inter verbum activum, & verbu activi generis?* Verbum activum sive desinat in o vel in or significat agere, Verbum activi generis est quod in o solum desinit, & potest formare passivum in or, vt audio, audior. *Quæ est differentia inter verbum passivum & verbum passivi generis?* Verbum passivum sive desinat in o vel in r significat pati, vt fio, feror. Verbum passivi generis, in or solum desinit, & potest resumere activum in o, Vt audior, audio. *Quæ est differentia inter verbum neutrum & verbum neutri generis?* Verbum neutrum est quod neque agere, neque pati significat, sed esse solum; verbum neutri generis vel significat agere, vel pati, vel esse, vt eo, fio, sum.

Quotuplicia sunt neutra verba? Quintuplicia: *Doce?* Neutroactiva, Neutropassiva, Neutralia passiva solum, & quæ sunt & neutropassiva & neutralia passiva simul, & mere neutra. *Neutroactivum quid est?* Est quod sub terminatione o, habet activam formam solam in præterito & agere significat, vt sedeo, ambulo. *Neutro passivum quid est?* Est quod sub terminatione o, habet passivam formā præteriti, & agere significat. *Quotuplicia sunt talia?* Duplicia 1. quæ habent passivam formam præteriti solam, vt gaudeo, gavisus sum vel fui. 2. quæ habent & activam & passivam formam præteriti, vt cœno cœnavi vel cœnatus sum vel fui. *Neutrum passivum ceu naturale passivum quid est?* Est quod sub terminatione o passive significat, vt vapulo. *Quæ verba sunt & neutro passiva & neutralia passiva?* quæ sub terminatione o habent passivā formam præteriti & pati significant, vt fio. *Verba mere neutra quæ sunt?* Sum & fore. *Quid est deponens?* Est quod in or desinens, agere solum significat, vt loquor, Philosophor, *Quid est commune?* Est quod in or desinens, & agere & pati sigificat. *Quomodo differt commune a verbo passivi generis, & a deponenti?* verbum passivi generis & deponens sub passiva forma habent vnam significationem tantum. Verbum commune habet & activam & passivam significationem. *Quomodo differunt verbum deponens & verbū passivi generis?* Verbum deponens agere significat sub terminatione or nec resumit activam formam, verbum passivi generis pati significat & potest resumere activam formam. *Sexto, quomodo dividitur verbū?* In primitivum & factum. *Quotuplex est factum Verbum?* Duplex Derivatum & compositum, *Cur*

quot partibus orationis COMPONITVR *verbum?* Cum quinque. *Primo?* Cum nomine, vt crucifigo, a crux & figo. 2. Cum Verbo, vt liquefacio, a liqueo & facio. 3. Cum Participio, vt liquefactus 4. Cum adverbio, vt bipartior. 5. Cum præpositione, vt inscribo. *A quot partibus orationis derivatur Verbum?* A quatuor? 1. A nomine, vt arieto ab aries. 2. A verbo, vt dicto a dico. 3. ab Adverbio, vt crastino a cras. 4. A præpositione, vt supero, a super. *Cum verbum derivatur a verbo, quotuplex est forma factorū ver-* Duplex Principalis & minus principalis. *Quot sunt formæ Principales?* Quatuor, augmentativa, frequentativa, desiderativa, & inchoativa itionis. *Quot sunt formæ minus principales?* Duæ. diminutiva & imitativa. *Quot sunt consideranda in Augmentativis?* quatuor. *Doce?* Significatio, terminatio formatio & coniugatio. *Quid significant Augmentativa verba?* Significant augmentum significationis primitivi vt ægreo *Iam sick*, ægresco *I grow sicke*. *In quem terminationem desinunt?* In sco. *Vnde formantur:* A secunda persona præs. Indicat. *quomodo:* Addendo co *Exempl formationis:* vt caleo. cales, adde co, sic fit calesco *quotæ coniugationis sunt:* Tertiæ. *quot sunt consideranda in desiderativis?* quatuor *Primo:* significatio *quid significant:* Desiderium præter primitivū. Secundo terminatio. *In quam termiationem desinunt:* In rio. 3. Formatio. *Vnde formantur?* A supino primitivi in u. *Da exemplū formationis?* Vt cœnatu, adde rio, sic fit cœnaturio. *quod est quartum considerandum:* Coniugatio. *quotæ coniugationi sunt.* quartæ. *Quæ est tertia forma factorum verborum?* Frequentativa. *Quot sunt consideranda in frequentativis?* Quatuor. *Primo?* Significatio. *Quomodo significant?* frequenter cum significatione Primitivi. *Quod est secundum considerandum in frequentativis?* Terminatio. *Quot terminationes habent?* Quatuor. *Doce?* to, so, xo, or. *Cedo exemplum?* Dormito, verso, nexo, sector. *Quod est tertium considerandum?* Formatio. *Vnde formātur?* A supino u. *Quomodo?* Distinguo. *Quomodo distinguis?* Si supinum primitivi desinit in atu vel non. *Si Supinum primitivi desinit in atu quot modis formantur frequentativa?* Duobus modis. *Doce?* Mutatur atu in ito, vel in itor. *Da exemplū vbi mutatur atu in ito?* Vt clamo, clamatu, atu in ito, sic fit clamito. *Da exempl vbi atu fit in itor.* Vt minor, minatu atu in itor, sic fit minitor. *Si Supinum non desinat in atu quomodo formatur frequentativum?* Mutando u in o vel in or. *Exemplum vbi mutatur u in o?* Vt verto, versu, u in o, verso *Exemplum vbi mutatur u in or?* Vt amplector amplexu, u in or, amplexor. *A quibus verbis formantur frequentativa in or?* A primitivis in or, *Quod est quartum conside-*

randum in frequentatiuis? Coniugatio. *quota Coniugationis sunt* Primæ. *Quæ est quarta forma factorum verborum?* INCHOATIVA ITIONIS. *quot sunt consideranda in his verbis?* Tria. *Primo?* Significatio, *quomodo significant?* Inchoatam itionem præter significationem primitivi. *Da exemplũ?* vt viso, id est eo ad videndum. *Secundo.* Terminatio, viz. so. *Tertio?* Coniugatio,; & sunt couiugationis tertiæ. *Cur non addis quartum considerandum viz. formationẽ?* quia his non datur certa formatio. *quot sunt formæ minus Principales factorum verborum?* Duæ. *quæ est prima?* Diminutiva. *quid est diminutivum verbum?* Quod significat diminutionem significationis primitivi verbi. *Exemplum?* vt sorbillo, *Resolve?* Id est parum sorbeo. *quot sunt terminationes diminutivorum?* Duæ. *Doce?* lo vel so. *Cedo exemplum?* vt cantillo, pitisso. *Resolve in alia verba?* id est parum canto, parum bibo. *quota coniugationis sunt?* Primæ, *quæ est secunda forma minus principalis?* IMITATIVA. *quid est imitativũ* Est quod cum significatione primitivi imitationem innuit. *quot sunt terminationes imitativorum.* Duæ : zo & or. *Cedo exempla?* Vt patrizo, Græcor. *Resolve hæc verba?* Imitor patrem, Imitor Græcos. *quæ harum terminationum est magis latina?* Terminatio, or. *quæ terminatio est magis græca quam latina?* Terminatio zo. *quota coniugationis sunt?* Primæ

DA ACCIDENTIA VERBO?

Modus, tempus, persona, coniugatio, numerus. *MODVS quid est?* Est forma vel ratio diversa adsignificandi in vno verbo, per certa tempora. *quotuplex est modus?* Duplex, finitus & infinitus. *quid est modus finitus?* Est qui varios fines vel terminationes habet in vno & eodem tempore! *quid est modus infinitus?* qui non variat fines vel terminationes in eodem tempore. *Cum dicimus amatũ esse vel amãtos esse, in perfecto & plusquam perfecto infinitivi, estne ibi variatio per fines?* Esse solum est infinitivi modi in hoc exemplo, amatum vel amatos sunt Participia præteriti temporis. *quot sunt modi finiti?* quinq;: Indicativus, Imperativus, Opt. Pot. Sub. *Indicativus modus quid est?* Est quo simpliciter aliquid fieri, vel non fieri significatur. *Vnde dicitur Indicativus?* Ab indicando. *quare?* quia rem fieri vel non fieri indicat. Vt Petrus scribit, Lepus currit. *quid est imperativus?* Est quo vtimur inter Imperandum. Vt scribe literas. *Vnde dicitur Imperativus?* Ab impero. *quare?* quia per eum modum imperamus. *An imperamus cum dicimus, remitte nobis debita nostra?* Non, sed precamur si verbum impero stricte sumatur. *quomodo sumitur imperativus in hoc loco apud grammaticos?* Ita late sumitur vt quicquid etiam quovis modo volumus & desideramus fieri vel non fieri includat. *Optativus quid est?* Quo optamus aliquid

fieri, vel non fieri: Vt O mihi præteritos referat si Iupiter annos. *quod est verbum optativi modi hic?* Referat. *quæ sunt notæ optativi modi,* Adverbia optandi: vtinam, vt, si, o, &c. *Da exemplum vbi optativus ponitur sine nota?* Vt vellem nulla forem. *quis Author?* Ovidius. *Potentialis quid est?* quo aliquid posse, velle, aut debere fieri significamus. *Vnde habet hic modus hoc nomen?* A principali sua significatione. *quæ est principalis eius significatio?* Posse fieri vel non fieri. *quo modo exponi possunt verba potentialis modi?* Per verba possum, volo, debeo. *Cedo exemplum:* Vt frangas potius quam flectas. *Resolve:* .i. potius frangere, quam flectere debes. *Vnde dicitur potentialis?* A possum. *quid est subiunctivus modus?* Qui alteri subiicitur verbo ad suam significationem exprimendam: Vt Cum fueris fœlix, multos numerabis amicos. *quod est Verbum subiunctivi modi hic:* fueris. *Cui verbo subiicitur:* Numerabis. *Vnde dicitur Subiunctivus:* A subiungendo. *quæ sunt notæ Subiunctivi modi:* Si, dum, cum nisi, & cæteræ Coniunctiones conditionales. *quot sunt modi INFINITI?* Vnus. *Doce:* Infinitivus. *quid est Infinitivus modus:* qui agere, pati vel esse significat sine personæ, aut numeri differentia: vt malim esse probus quam haberi. *quæ sunt verba infinitivi modi hic:* Esse & haberi. Vide plura de infinitivo ante descriptionem indicativi modi. *TEMPVS quid est:* Est significationis determinatio in quando. *quot sunt?* quinq;. præs. imperf. perfect. plusquamp. futurū. *quotuplicia sunt tempora* Duplicia. *Doce:* Cardinalia & collateralia. *quot sunt tempora cardinalia:* Tria: Præsens, præteritum & futurum. *quæ tempora dicuntur collateralia?* quæ denotant circumstantias quasdam præteriti. *quot sunt talia?* Duo: imperfectū, & plusquamperfectum. *Præteritum tempus quotuplex est:* Triplex, præteritum imperfectum, præteritum perfectum, & præteritum plusquamperfectum.

Tempora quæ Cardinalia dicuntur cur appellationē hanc sibi sumunt: quia principatum præ reliquis ita tenent, vt ab iis collateralia pendeant: *Præsens tempus quid est?* quo nunc geri aliquid significatur: vt scite scribit frater tuus. *Imperfectum quid est:* quo res incerta sed non perfecta significatur, vt hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido condebat. *Perfectum quid est:* quo res perfecta & absoluta significatur: vt expedivi negotia tua. *Plusquamp. quid est?* quo res dudum vel pridem perfecta significatur, vt Diruta marte tuo Lyrnesia Mœnia vidi, Et fueram patriæ pars ego magna meæ. *Futurum quid est?* Est quo res in futuro gerenda dicitur: vt Ibimus o Nymphæ monstrataque saxi petemus. *GERVNDIVM quid est?* Est verbum in di, do vel dum significatur-

si-

atlonem verbi eius a quo descen-gerens. *quotuplex est gerundi-n:* Triplex: in di vt legendi, in- vt legendo, in dum vt legendum. eliqua de gerundiis vide in lib. cap. 8. & 25. *Supinum quid :* Est coniugationis finis in um, l in u desinens: vt lectum lectu. de reliqua in lib. 2. cap. 1. & 26.

ONIVGATIO. Vide inrius vbi de formationibus verbo-um. Numerus vide nomen, perso-a vide Pronomen,

ORMATIONES VERBORVM.

ONIVGATIO quid est? Est ver-orum per modos & tempora va-iatio. *quot sunt coniugationes?* Quatuor: Prima, secunda, tertia, quarta. *Prima Coniugatio quid st?* Est quod habet a longum ante e vel ri in præsenti & imperfecto nfinitivi. *quomodo dignoscitur rima Coniugatio?* Per a longum ante re vel ri in præsenti & imperfecto infinitivi, vt amare, amari. *Secunda Coniugatio quid est?* quæ habet e longum ante re vel ri in præsenti & imperfecto infinitivi, vt docere, doceri. *Tertia Coniugatio quid est?* quæ habet e breve ante re in præsenti & imperfecto infinitivi, vt legere, vel ante ris & re in secunda persona singulari præsentis indicativi, vt legeris vel legere. *quarta Coniugatio quomodo dignoscitur?* Per i longũ ante re vel ri in præsenti & imperfecto infinitivi: vt audire, audiri. *Modi in verbo quot sunt?* Sex: Indicativus, imperativus, &c. *In omnibus sex modis quot sunt tempora?* Viginti septem. *Doce?* Quinque in Indicativo. Duo in imperativo, quinq; in Optat. quinque in potentiali, quinque in Subiunctivo, quinque in infinitivo. *Ex his temporibus quot formantur?* Viginti quinque. *quot non formantur:* Duo, *Doce:* præsens indicativi, & futurum infinitivi. *Cur non formatur præsens indicativi:* quia format reliqua tempora, *Cur non formatur futurum infinitivi?* quia suppletur ex participio futuri temporis & alio infinitivo. *Vnde suppletur futurum infinitivi activa vocis:* Ex accusativo participii futuri temporis in rus, & infinitivo esse vt amaturum vel amaturos esse. *Futurum infinitivi passiva vocis quotuplex est:* Duplex: prius futurum & posterius. *Vnde suppletur prius futurum:* Ex supino in um & infinitivo iri, vt lectum iri. *Vnde suppletur posterius futurum:* Ex accusativo participii futuri temporis in dus & infinitivo esse vt amandum vel amandos esse. *In verbis activis a quot temporibus formantur hæc viginti quinque tempora:* A duobus, viz a præsenti & a perfecto indicativi. *A quot personis formantur:* A tribus, viz a prima, & secunda persona singulari præsentis indicativi, & ab eiusdem modi prima persona singulari perfecti. *In verbis primæ & secundæ Coniugationis quot tempora formantur a prima persona singulari præsentis*

tis indicativi? Tria, viz. præsens trium modorum consimilium. *qui sunt tres modi consimiles?* Optativus, potentialis, & subiunctivus, *Forma præsens trium modorum cõsimilium.* Amo, o in em sic fit amẽ, doceo o in am. sic fit doceam: *quot formantur a secunda persona sing. præsentis Indicat:* Decem, imperfectum perfectum & futurum indicativi, præsens & altera vox imperativi, imperfectum trium-modorum consimilium, presens & imperfectum infinitivi.

Forma hæc decem tempora? imperfectum Indicativi, amas, dele s & adde bam, amabam. doces, dele s & adde bam, docebam perfectum. amas, dele s & adde vi amavi. doces es in ui: docui, futurum, amas doces dele s & adde bo, amabo docebo præsens imperativi, amas, doces, dele s, ama, doce, alt. vox: amas, doces; dele s. & adde to amato, doceto Imperf. trium modorum consimilium, amas, doces dele s & adde rem amarem, docerem. præsens & imperfectum infinitivi amas, doces dele s & adde re, amare. docere *In verbis tertia & quarta Coniugationis quot tempora formantur a prima persona sing. presentis Indicativi?* quinque. *Doce*: Imperf. & futurum indicativi, præsens trium modorum consimilium. *Forma* Imperf. indicativi, lego. audio, o in e & adde bam, legebam audiebam: Futurum indicativi & præsens trium modorum consimilium, lego, audio, o in am, legam, audiam. *quot formantur a secunda persona,* Octo: perfectum indicativi, præsens & altera vox imperativi: imperfectum trium modorum consimilium, præsens & imperfectum infinitivi. *Forma hæc tempora* Perfectum Indicativi legis, dele s fic fit legi, audis dele s & adde vi audivi: præsens imperativi legis dele s, i in e lege, audis dele s, audi Imperfectũ trium modorũ consimilium, legis, dele s i in e & adde rem legerem, audis dele s & adde rem audirem. præsens & imperfectum infinitivi legis, dele s i in e & adde re legere, audis dele s & adde re, audire. *In omnibus quatuor Coniugationibus quot tempora formantur a prima persona singulari perfecti Indicativi:* Duodecim. *Doce:* plusquamperf. Indicativi: perfectum plusq. & futurum trium modorum consimilium, perf. & plusq. infinitivi. *Forma:* Amavi, docui, legi, audivi, i in e & adde ram, sic fiunt amaveram, docueram, legeram, audiveram, amavi &c. i in e & adde rim, amaverim, amavi, adde ss & sem, amavissem, amavi i in e & adde ro, amavero, amavi, adde ss & se, amavisse. Simili modo formantur reliqua duodecim tempora a docui, legi, audivi, mutando i in e, & addendo rim vel ro, vt legerim, audiverim, legero, audivero, vel addendo ss & sem vel ss & se, vt docuissem, docuisse, legissem, legisse &c. *vnde formatur tertia persona pluralis alteræ vocis imperativi:* A tertia plurali præsentis Indicativi, vt amant, docent, legunt, audiunt adde o amanto, docento, &c.

FORMATIONES PASSIVORVM.

IN Verbis Passivis quot sunt Tempora? Tot quot in Activis. Quot formantur? Tredecim. Doce? Præsens: Imperf. & Futurū indicativi: Præsens, & altera vox imperativi: presens & Imperf. trium modorum consimilium: presens & imperf. Infinitivi. Vnde formantur. Ab iisdem temporibus & personis activæ vocis. quomodo formantur. Mutando (o) in (or) s, in secunda persona singulari in ris, vel re, t. in tur, mus, in mur: tis vel te in mini: m, in er, tote in minor: In prima persona presentis imperativi adiice re. In presenti & imperf. infinitivi mutatur re, in ri, sed in tertia coniugatione non solum deletur re, sed & e in i mutatur: vt legere, legi. In secunda persona presentis indicativi verborum tertiæ coniugationis, & in secunda persona futuri indicativi verborum primæ & secundæ coniugationis, non tantum mutatur s, in ris vel re: sed etiam, i in e: vt legeris vel legere à legis: amaberis vel amabere, ab amabis. quot tempora non formantur? quatuordecim. Doce perf. & plusq. indicativi: perf. & plusq. & futurū trium modorū consimilium: Perf. plusq. & futurum infinitivi. Si non formantur hæc tempora, vnde supplentur. Ex Participio præteriti temporis & duobus temporibus verbi Sum: vt amatus sum, vel fui: amatus eram, vel fueram. Sed prius futurum infinitivi circumscribitur ex supino in um, & infinitivo iri: vt amatū iri Posterius futurum suppletur ex Participio futuri temporis & infinitivo esse: vt amandū vel amandos esse. GERVNDIA vnde formantur? A genitivo Participii præsentis mutando tis in di, do, dum: vt amans, amantis, tis, in di, do, dum. amandi, amando, amandum. PARTICIPIVM præsentis temporis vnde formatur? Ab imperfecto indicativi. Quomodo? Mutando bam, vel bar in ns: vt amabam, bam in ns, amans: loquebar: bar in ns, loquens. PARTICIPIVM futuri temporis in (dus) vnde formatur? A gerundio in dum, mutando, m, in s: vt amandum, amandus. Vnde formatur futurum in (rus)? A supino in um mutando m, in rus, vt amatum, amaturus. Vnde formatur supinū in (u)? A supino in um Quomodo? Delendo m, vt amatum, amatu. Cur supinum in (um) & Participium in (rus) non potius formantur a supino in (u), cum derivata sæpius habent plures syllabas quam primitiva? Quia multa verba habentia supinum in um, non habent supinum in u, vt cursum, statum. Deinde, sicut in natura passio causatur ab actione, sic formatio passivæ vocis fieret ab activa, & vbi deest activa vox ob eam rem est fingenda. vt amplector, ab amplecto haberet amplexum, sicut plecto. Tertio, sicut

ab amas, doces, & audis formatur præsens imperativi ama, doce, audi, delendo s: sic supinum in (u) formatur a supino in (um) delendo (m). *Vnde formantur supina in (um)?* Regulariter formantur a præterito perfecto indicativi: vt audivi, vi, in tum, auditum.

PARTICIPIVM.

PARTICIPIVM *vnde dicitur?* A pars & capio. *Quare?* Quia ab aliis partibus orationis accidentium maximam partem accipit. *A quot partibus orationis capit accidentia?* A duabus, viz. a nomine & a verbo. *Quot accidentia capit a nomine?* Duo: genera & casus. *Quot accipit a verbo?* Duo tempora & significationes. *Quot accipit ab vtroque?* Vnum. *Doce?* Numerum. *Quomodo dividitur Participium?* In simplex & compositum. *Quæ Participia sunt simplicia?* Ea quorum verba a quibus formantur sunt simplicia: vt amans, amaturus: lectus, legendus. *Quæ Participia sunt composita?* Ea quorum verba sunt composita: vt redamans, colligens *Dividiturne Participium in primitivum, & derivativum?* Non. *Quare?* Quia omnia participia sunt derivata. *Vnde derivantur?* A verbis. *Cedo Participij accidentia?* Genus, casus, tempus, significatio, numerus: De genere, casu & numero vide Nomen. *Cuius generis sunt omnia Participia?* Communis trium generis. *Quot modis declinantur?* Duobus modis: su vna terminatione, & sub tribu *Quæ Participia declinantur s vna terminatione?* Participia præsentis temporis. *Quomodo declinantur per omnes casus?* Vt nomina tertiæ declinationis. *Q Participia declinantur sub tribus terminationibus?* Particip præteriti & futuri temporis. *Quomodo declinantur?* Conserva normam nominum primæ & secundæ declinationis. *Tempora participiorum quot sunt?* Tria: præsens: præt. & fut. *Terminationes præsentis temporis quot sunt?* Du ans & ens. *Exempla?* Vt vigilan dormiens. *Terminationes præteriti quot sunt?* Quatuor *Doce.* Tu sus, xus, uus. *Cedo exempla?* V doctus, visus, nexus, mortuu *Quot sunt terminationes futur temporis?* Duæ: rus & dus, v lecturus, legendus. *An Participi præteriti temporis habent sola significationem perfecti temporis?* Sine discrimine habent significationem imperfecti, perf. & plusq *Quot significata habet Participium?* Tria, agere, pati, & esse vt legens, legendus, futurus. *Quot Participia veniunt a verbis activis?* Duo: præsens in ns, & futurum in rus. *Cedo exempla?* V docens, docturus. *Quomodo significant?* Active. *Quot Participia descendunt a verbis passivis?* Duo: vnum præteritum, & futurum in dus. *Quam habent signi-*

fica

ationem? Passivam. *Cedo exempla?* Vt doctus, docendus. *Participia quæ cadunt a neutris quomodo significant?* Neutraliter. *Quid hoc est neutraliter?* Hoc est imitantur significationem neutrorum verborum a quibus cadunt. *Quæ Participia neutrorum significant active?* Quæ cadunt a verbis neutris activæ significationis, currens. *Quæ significant passive?* Quæ cadunt a verbis passivæ significationis, vt vapulans, a vapulo. *Quæ Participia significant ...e?* Quæ cadunt a verbo ium, vt ...s, futurus. *Quot Participia veniunt a verbis neutro-activis?* Duo: præsens in ns, & futurum in rus: vt sedens, sessurus. *Quot Participia cadunt a neutro-passivis habentibus passivam formam præteriti solam?* Tria, præsens, præteritum & futurum in rus: vt gaudens, gavisus, gavisurus. *quot cadunt a neutro-passivis habentibus & activam & passivam formam præteriti?* tria, presens, preteritum & futurum in rus, vt cœnans, cœnatus, cœnaturus. *Quot Participia cadunt a neutro-passivis?* Duo: præsens in ns & futurum in rus: vt vapulans, vapulaturus. *Quot Partcipia cadunt a Verbis quæ sunt & neutropassiva & neutrapassiva?* Duo: præteritum & futurum in dus: vt factus faciendus a fio. *Quot Participia veniunt a merè neutro viz ...?* Duo: ens futurus. *Ens apud quos est in vsu?* Apud Philosophos præcipue. *Participia quæ cadunt a deponentibus quam habent significationem?* Activam. *Quare?* Quia verba a quibus descendunt agere significant. *Quot Participia a deponentibus veniunt?* Tria: præsens in ns, præteritum, & futurum in rus: vt loquens, loquutus, loquuturus a loquor. *Quot Participia veniunt a communibus verbis?* Quatuor. *Doce?* Vnum præsens, vnum præteritum, & duo futura. *Cedo exempla?* Vt experiens, expertus, experturus, experiendus. *Quomodo significant participia præsentis temp. communium verborum?* Active. *Quomodo significant Participia præteriti temp. communium verborum?* Communiter. *Quid hoc est?* Et active & passive. *Quomodo significant Participia futuri in rus?* Active. *Quomodo significant participia futuri in dus?* Passive. Reliqua de Participio, vide lib. 2. cap. 27.

ADVERBIVM.

QVid est pars orationis indeclinabilis? Est quæ terminationem fixam, & immobilem retinet. *Quot sunt partes indeclinabiles?* Quatuor: Adverbium, Præpositio, Interiectio, Coniunctio. *Quomodo vocantur partes indeclinabiles vulgo?* Advocabula. *Quare?* Quia vocibus flexibilibus adiiciuntur. *ADVERBIVM quid est?* Est pars orationis non flexa, quæ adiecta verbo, vel adiectivo, sensum eius perficit, & explanat. *Vnde componitur hæc vox Adverbium?* Ab ad, & verbum.

bum. *Vtrum verbum in hoc composito capitur in latissima significatione, vel pro tertia parte orationis?* Capitur in latissima significatione. *Quare?* Quia aliis partibus orationis iungitur Adverbium quam tertiæ parti orationis. *Quot partibus orationis iungitur Adverbium?* Quatuor. 1. Nomini: vt admodum puer. 2. Verbo: vt scite pingit. 3. Participio. vt scite pingens. 4. Aliis adverbiis, vt sat cito, si sat bene. DIVISIO. *Quot modis dividitur Adverbium?* Tribus modis. *Primo?* In interrogativa & responsiva. *Interrogativa Adverbia quotuplicia sunt?* Octuplicia. *Primo?* Interrogativa loci. *Interrogativa loci quot sunt?* Sex: vbi, vnde, quo, qua, quorsum, quovsq; *Quæ adverbia respondent ad quæstionem factam per vbi?* Hic, isthic, illic, &c. *Quæ respondent ad quæstionem factam per quo?* Huc, isthuc &c. *Quæ respondent ad vnde?* Hinc, isthinc, illinc, &c. *Quæ respondent ad qua?* Hac, istac, illac &c. *Quæ adverbia respondent ad quorsum?* Horsum, illorsum, istorsum, antrorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum, lævorsum, sursum, deorsum. *Quomodo resolvuntur?* Per sua simplicia ex quibus componuntur. *Cedo exempla?* vt horsum, id est. hucversus, vel versus hunc locum: sinistrorsum, id est sinistram versus, &c. *Quæ adverbia respondent ad quovsq;?* Hucvsq; illucvsq; &c. *Quæ adverbia*

loci respondent suis interrogati[...] sicut adverbium (hic) respon[...] adverbio vbi? Huc, hac, hinc, h[...]sum, hucvsq;. *Quæ adverbia [...] correspondent adverbio istic?* I[...]huc, isthac, isthinc, isthorsum, i[...] hucvsq;. *Quæ correspondent adve[...]bio nusquam?* Nequo, nequa, n[...]cunde, nequorsum, nequovs[...] *Quæ correspondent adverbio v[...] vbi?* Quovis, quavis, vndevis, quo[...]sumvis, quovsq; vis. Similiter [...]sponderi potest de reliquis adve[...]bis loci. De modis respondendi [...] vbi, vnde, quo, qua. Vide lib. [...] cap. 29 *Secundo quæ sunt adve[...]bia interrogativa?* Interrogati[...] temporis, vt quando, quoties &[...] Quæstiones de tempore habent[...] lib. 2. cap. 30. *Tertio?* Interro[...]gativa quantitatis: vt quantu[...] *Per quotuplicia adverbia respon[...]demus ad quantum?* Per duplici[...] viz. 1. per adverbia quantitati[...] vt parum, minime, maxime, sati[...] omnino, &c. 2. per adverbia com[...]parandi: vt magis, minus, maxim[...] minime, tam, quam, æque. *Quar[...]to?* Interrogativa qualitatis, [...] quomodo scribit? scite scribit[...] *Quinto?* Interrogativa causæ. [...] Cur prodis? quia serenum est cœlum. *Sexto?* Interrogativa inten[...]sionis. vt quantopere. *Quæ adve[...]bia respondent ad quantopere[...]* Adverbia intendendi: vt valde[...] magnopere, impense, imprimis, a[...]deo, admodum &c. *Septimo?* In[...]terrogativa quæ quærunt has cir[...]cumstantias. 1. ad rem aliquam

vt quo tendit mens? ad cœlestia. 2. E re aliqua: vt vnde hæc habes? a patre, a natura: vnde hæc didicisti? a Præceptore, 3. per rem aliquam: vt qua itur ad Deum, fide, vel per fidem. 4. in re aliqua, vt vbi invenitur fides? in sanctis. *Octavo*? Interrogativa, quæ rei quærunt affirmationem & negationem. *Exempla*? vt frater tuus an vivit. Etiam. quidni: Habes ne duodecim Atheniensium tabulas? Non, minime, &c. *Secundo, quomodo dividitur adverbium?* In primitivum & derivativum: vt vbi vbiq;. *Quot modis derivatur adverbium*? Sex modis. 1. a nomine *A quotuplicibus nominibus?* A duplicibus nominibus. 1. A substantivis, vt vicatim, a vicus: oppidatim a nomine oppidum. 2. ab adiectivis, vt fortiter a fortis. 2. a pronomine, vt huc, a pronomine hic. 3. a verbo: vt sensim, a sentio: tractim, a traho. 4. a nomimine & verbo: vt pedetentim, a pes & teneo. 5. a præpositione, vt intro ab in. 6. ab aliis adverbiis vt rarissime. a raro. *Tertio, quomodo dividitur adverbium?* In simplex, & compositum: vt vbi, vbivis. *quot modis componitur adverbium?* Septem modis. Primo. Cum nomine, vt bipes, a bis & pes. 2. cum verbo: vt satis facio. 3 cum participio: vt satisfaciens. 4. cum præpositione: vt indocte, difficile. 5. cum coniunctione, vt vtiq;. 6. cum aliis adverbiis, vt quoquoversum, tantum modo. 7. cum syllabica adiectione: vt vtpote. *ACCIDENTIA Adverbiorum quot sunt?* Duo: Significatio, & Comparatio. *Significationes adverbiorum quotuplices sunt?* Quadruplices. *Primo*? quæ notant puram affirmationem, vel negationem *qua adverbia notant puram affirmationem*? Adverbia respondendi affirmative: vt etiam, sic, certe, ne, ita, quidni. *quæ adverbia notant puram negationem* Adverbia negandi: vt Non, haud, nequaquam, minime. *Secundo?* quæ neq; affirmant, neq; negant. *quotuplicia sunt talia*? Sextuplicia. 1. Adverbia interrogandi: vt cur non legis? 2. adverbia vocandi: vt heus Petre. 3. Prohibendi: vt ne scribe. 4 Hortandi: vt age, fortiter pugna. 5. Optandi: vt vtinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit. 6. Concedentis. vt Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis. *Tertio*? quæ affirmationem, vel negationem infirmant. *quotuplicia affirmationem, vel negationem infirmant?* quadruplicia. 1. Adverbia quædam quantitatis: vt parum refert. 2. Adverbia dubitandi: vt, forsan & hæc olim meminisse iuvabit. 3. Remittendi: vt, Vix e conspectu Siculæ telluris in altum, Vela dabant læti, 4. Adverbia rei non peractæ: vt Nam tecum fere totus ero quocunq; recedam. *quis Author?* Ausonius. *quarto?* quæ affirmationem & negationem roborant. *quæ sunt illa?* Omnia fere reliqua Ad-

ver-

verbia: *Cedo exempla*? vt istic sedet plane delirat, Hercle non obiit &c. *Quomodo differunt Adverbia dubitandi ab Adverbijs eventus?* Adverbia dubitandi rem vel actionem incertam ostendunt, vt forsitan & narres quam sit tibi rustica coniunx. Adverbia eventus rem certo evenisse sed inexpectatam innuunt, vt forte sub arguta consederat ilice Daphnis &c. *Quomodo differunt Adverbia separandi ab Adverbijs exclusionis*? Adverbia separandi notant secretionem negatione implicita, adverbia exclusionis notant negationem expressam. *Explana illud in Adverbijs separandi*? Vt seorsum studet, intellige (nullis adhibitus sociis) *Explana illud in Adverbijs exclusionis?* Vt Grammaticæ solum studet: Ibi vox solum negat alia studiorum genera. *Quomodo differunt Adverbia negandi ab adverbijs exclusionis?* Adverbia negandi simpliciter negant, & nihil affirmant, vt non ludit, Adverbia exclusionis partim negant, partim affirmant, vt tantum ludit. *In hac clausula quid affirmat, quid negat adverbium tantum.* Affirmat lusum negat omnes alias actiones, præter lusum. *Quomodo differunt adverbia rei non peractæ ab adverbiis exclusionis*? Adverbia rei non peractæ rem tendentem ad perfectionem vel finem affirmant, ipsam perfectionem vel finem negando, annum fere agit octavum, fere febricitat, adverbia exclusionis e iusdem generis quas affirmat, res etiam negat, non habita ratione finis vel perfectionis. *quomodo differunt adverbia iurandi ab adverbiis confirmandi*? Vtraque confirmant affirmationem vel negatione, sed hæc asseveratione, illa iuramento: vt certe tonitru it: mehercle tonat. *Quomodo differunt adverbia intendendi ab adverbiis quantitatis?* Vtraque quantitatem significant: sed adverbia intendendi semper excessum notant: vt magnopere laborat. Adverbia quantitatis aliquando excessum: vt plurimum versatur in sacris literis; aliquando defectum, vt minime doctus: aliquando sufficientiam: vt satis verborum. *Quomodo differunt adverbia rei non peractæ ab adverbiis remittendi?* Adverbia rei non peractæ, res peractas esse negant: Adverbia remittendi res esse perfectas asserunt, sed cum difficultate quadam. *In quo sensu conveniunt Adverbia personalia, cum adverbijs congregandi, & negatæ solitudinis?* Hæc omnia triplicia Adverbia societatem denotant. *Quomodo discrepant?* Adverbia personalia societatem personarum tantum, sed abs- q; negatione notant: vt tu dic mecum quo pignore certes. Adverbia congregandi societatem quamlibet etiam absque negatione præbent: vt simul fugiunt hostes. Adverbia negatæ solitudinis societatem referunt, plerunq; cum duobus negativis: vt non solum Antichristus -

sed

sed etiam eius milites in exitium ruunt. *Qualitatis adverbia quotuplicia sunt?* Sextuplicia: 1. in e: vt docte: 2. in ter: vt fortiter. 3. in o: vt falso: 4. in um: vt horrendum. 5. in am, vt bifariam, multifariam. 6. in us vt primitus, intrinsecus, penitus. *Quomodo dignoscuntur Adverbia qualitatis?* Per interrogativum quomodo ad quod respondere solent *Da exemplũ vbi nomina adiectiva ponũtur pro adverbijs qualitatis?* Vt torvum tuetur. hic: torvum pro torve ponitur. *Da exemplũ vbi adverbiũ pro nomine ponitur?* Vt partim virorum sunt occisi. hic: partim pro pars ponitur. COMPARATIO. *Quotuplicia adverbia comparantur?* Duplicia. *Doce?* Quæ derivantur a nominibus, & quæ non derivantur a nominibus. *Da exempla adverbiorum quæ derivantur a nominibus?* Vt duriter, durius, durissime. *Da exempla eorum quæ non derivantur a nominibus?* Vt sæpe, sæpius, sæpissime. *Quotuplex comparatio exprimitur per adverbia?* Duplex. *Doce?* In rei quantitate vel qualitate. *Quot modis exprimitur comparatio in rei quantitate?* Tribus modis. 1. in rei excessu: vt magis vel maxime dives. 2. in rei defectu: vt minus vel minime prudens. 3. in rei æqualitate: vt tam ficti praviq; tenax, quam nuncia veri. *In quotuplici quantitate fit comparatio adverbiorum?* In duplici: 1. in quantitate discreta: vt sæpius, sæpissime. 2. in quantitate continua: vt diu, diutius, diutissime. *Quotuplicia adverbia exprimunt comparationem in rei quantitate?* quintuplicia. 1. Adverbia quædam temporis: vt sæpissime, rarissime. 2. quantitatis: vt parum. 3. quædam adverbia qualitatis, vt longius, longissime: quæ vox etiam modum in longitudine notat. 4. adverbia comparandi: vt magis, minus. 5. Intendendi: ut valde. *quotuplicia adverbia admittunt comparationẽ in rei qualitate?* Duplicia: 1. quæ generalius rei modum notant, vt adverbia similitudinis *Cedo exemplum?* Vt ita dicandum est instante periculo. 2. quæ specialius rei modum notant: vt adverbia qualitatis *Cedo exemplũ?* Vt fortissime pugnandum est instante periculo. *quomodo conveniunt adverbia demõstrandi & explanandi?* Vtraq; rerum elucidationi inserviunt. *quomodo discrepant?* Adverbium demonstrandi rem præsentem oculis ostendit: vt En quatuor aras: Adverbium explanandi orationem præbet, qua clausula precedens illustrari possit: vt hoc me cõsolatur quod mercator habetur vir bonus, vtpote professionis Evangelicæ. *Adverbia diversitatis quibus Adverbijs opponuntur?* alibi, alio, alia, aliunde, aliorsum, opponuntur adverbiis loci, alias opponitur adverbiis temporis, aliter & secus, opponuntur adverbiis qualitatis & similitudinis. *quotuplicia sunt adverbia numeri?* quintuplicia. 1. quæ nume-

merant tempora actionum & sunt etiam adverbia temporis, vt semel, bis, ter. 2. quæ numerant ordinem rerum, & sunt adverbia ordinis vt primo, secundo, tertio, quarto &c. 3. quæ numerant modos rerum, multiplicãdo: & sunt adverbia qualitatis: vt dupliciter, tripliciter, quadrupliciter. 4. quæ numerant mensuras rerum multiplicando: & sunt adverbia quantitatis, vt duplicato, id est bis tantum, sic triplicato, quadruplicato. *Dic horum significationes anglice?* Duplicato twise as much, triplicato, thrise as much, quadruplicato, foure tymes as much, &c 5. quæ numerant modos loquendi vt bifariam, trifariam, quadrifariam, & sunt adverbia qualitatis, &c. *Vnde derivantur hæc adverbia?* a nominibus in farius desinentibus. *Bifarius vnde componitur?* ab adverbio bis, & a verbo fari. hoc modo reliqua componuntur. *Explica has orationes Nomen dupliciter dividitur & bifariam dividitur?* Hoc est nomen duobus modis dividitur, & duobus modis loquendo dividitur. Reliqua de Adverbiis habentur lib. 2. capp. 8. 28. 29. & 30.

PRÆPOSITIO.

Præpositio quid est? Est pars orationis quæ casui semper iungitur, aut in compositione tantum cernitur. *Vnde dicitur Præpositio?* A præpono. *Quare?* Quia semper præponitur dictioni cui iungitur. *An tenus præponitur?* vox ipsa postponitur sed significatio eius in resolutione præponitur, vt crurum tenus vp to the brannes. *Quot modis postponitur Præpositio?* Duobus modis, figurate & sine figura. *Quot Præpositiones postponuntur sine figura?* Tres: vsq; versus & tenus. *Cur non postponuntur figurate?* Quia tenus semper, vsque & versus sæpissime postponuntur. *Per quam figuram postponuntur aliæ Præpositiones?* Per anastrophen, vt Italiam contra. *Quot modis præponitur Præpositio in oratione?* Duobus modis, per appositionem & per compositionem. *per appositionem quando præponuntur?* Cum casum regunt. *quot partibus orationis per appositionem iungitur?* Tribus: 1. Nomini, vt ad magistrum. 2. Pronomini, vt per me non stetit. 3. Participio, vt a legente. *Cum quot partibus orationis componitur Præpositio?* Cum septem, 1, cum nomine, vt invtilis. 2. cum pronomine, vt hactenus, 3. cum verbo, vt perlego 4. Cum Participio, vt perlegens, 5. Cum Adverbio, vt de repente, deorsum, incommode, 6. Cum coniunctione, vt absque. 7. Cum alia præpositione, vt desuper. DIVISIO. *quomodo dividitur præpositio?* In separabiles & inseparabiles. *Separabiles quæ dicuntur?* quæ aliquando inveniuntur extra compositionem. *Inseparabiles quot sunt?* Sex, am di, dis, re, se, con. *Cur inseparabiles dicuntur?* quia nunquam inveniuntur extra compo-

po-

positionem. *Am quid significat in compositione?* Idem quod circum vt ambio, id est circumeo. *Di quid significat in compositione?* Idem quod per, vt diduco. *Dis quid significat?* Idem quod in diversas partes: vt distraho: id est in diversas partes traho. *Se quomodo capitur in compositione?* Pro seorsum vt seiungo *Con quomodo capitur in compositione?* Pro simul: vt colligo. *Con in compositione quando mutat naturam verborum?* Cum ex neutris reddit activa: vt conspuit compluit. *Re quot modis capitur?* Tribus modis: 1. pro denuo. vt repeto. 2. vna cum significatione primitivi significat etiam contra: vt recludo. 3. ipsam significationem primitivi mutat in contrariam vt recludo. *ACCIDENTIA Præpositioni quot sunt?* Tria: vnum principale, viz. casuum regimen, & duo minus principalia: viz. Ordo, & figura. *De Præpositionum figura cedo exemplum?* Vt abs absq;. *Ordo Præpositionis quid est?* Est quo Præpositio præponitur, vel postponitur: vt iniustus, Romam versus. *Quot casus regunt Præpositiones?* Tres: genitivum, accusativum, & ablatiuvm. *Quot regunt genitivum?* Vna: viz tenus. *Tenus quotuplex?* Duplex: nomen, & præpositio. *Tenus nomen quid significat?* Extremam partem arcus. *Tenus Præpositio quot casus regit?* Tres: accusativum, ablativum, & genitivum pluralem. *Quando regit accusativum?* Raro. *Exemplum vbi regit accusativum?* Vt Et Tanaim tenus immenso descendit ab Euro. *Quis author?* Flaccus in Argo. *Da exemplum vbi regit ablativum singularem?* Vt, vulneratus sum corde tenus. *Da exemplum vbi regit ablativũ pluralem?* Vt, pectoribus tenus molles erectus ad auras *Quis author?* Ovidius. *Quotuplicem genitivum pluralem regit?* Duplicem. Primo, regit genitivum pluralem res geminas significantem, vt crurum tenus: oculorum tenus. *Da authoritatem?* Vt; Et crurum tenus a mento palearia pendent. *Quis author?* Virgilius in Georgicis. *Secundo, quem genitivum pluralem regit tenus?* Regit genitivũ pluralem carentem singulari. *Da authoritatem?* Illi rumores de comitiis Transpadanorum, Cumanum tenus caluerunt. *Quis author* Cœlius. *Regit-ne tenus aliquando genitivum pluralem, nec res geminas signantem, nec singulari numero carentem?* Etiam. *Da exemplum?* Temerarius miles solus penetravit hostium tenus. *Da authoritatem?* Quum se aquila nubium tenus altissime sublimavit. *Quis author?* Apuleius *Quot præpositiones regunt accusativum?* Triginta & vna: Ad, apud, ante, &c. *AD & APVD quomodo differunt?* Ad tam motus, quam quietis verbum admittit: vt Samnites ingrediuntur ad Curium, sedentem ad focum. Apud solum quietis verbum desiderat, aut saltem

E non

non exterioris motus: vt sedeo apud Petrum. *Da exemplum vbi ad, capitur pro circiter?* Vt dormit ad horas tres. *Interpretare illa verba: Omnes ad vnum perierunt?* Id est perierunt omnes nullo excepto. *Dic sensum harum clausularum, Adamussim, ad vnguem?* Id est, exactissime. *Da exemplum vbi ad habet vim similitudinis?* Teremius ait: Pulchra quidem, sed nihil ad nostram hanc *APVD & PENES quomodo differunt?* Apud .1. locum solum innuit. vt vidi te apud forum: Vel personam solam: vt cœnavi apud Pompeium. Penes innuit personā simul cum potestate vel dominio: vt, me penes est vnum vasti custodia mundi. *Quibus Præpositionibus opponuntur cis & citra?* Trans & vltra. *Cis & citra quomodo differunt?* Cis est antiquius quam citra & magis nominibus montium & fluviorum præponitur: vt cis Rhenum. *Exemplum vbi citra capitur pro minus quam?* Vt, citra naturæ leges *Da exemplum vbi vltra capitur pro magis quam* Vt, vltra naturæ leges. *Da exemplum vbi citra capitur pro sine?* Seneca ait· Bibe citra ebrietatem. *CIRCA, CIRCITER & ERGA quomodo differunt?* Circa refertur ad locum: vt circa forum: & ad tempus: vt, circa horam tertiam. Circiter refertur ad tempus: vt, rediit huc circiter meridiem. & ad numerum: vt circiter duo millia. Erga ad personam refertur: vt, erga populum superbum. *INTER, INTRA & EXTRA quomodo differunt?* Inter innuit medians aliquid: vt, Multa cadunt inter calicem supremaq; labra: Intra certos loci, temporis, aut alterius rei fines demonstrando significat, habetq; contrarium, Extra: vt Horat. Iliacos intra muros, pugnatur & extra. *INFRA cui Præpositioni contrariatur?* Præpositioni Supra. *Infra ad quas res refertur?* Refertur ad dignitatem: vt infra omnes infimos es homo nequissime. 2. ad locum: vt infra tectum es, si foco assideas. *Da exemplum vbi supra distantiam innuit?* Vt nubes supra nos pendent. *An SVPER & SVBTER etiam rerum distantiam notant?* Minime, sed potius rerum contactum & proximitatem. *Cedo exempla?* Vt sedeo super lapidem: Vrinator mirifice subter aquam durat. *IVXTA & PROPE an eundem sensū habent?* Quamdiu manent Præpositiones idem significant: sed iuxta Adverbium sæpe significat similiter, eo modo, æque: vt, Eorum ego vitam mortemq; iuxta æstimo *Quis author?* Salustius. *OB & PROPTER quomodo differunt?* Vtraq; causam innuit: vt ob virtutem amandus es. Propter magna merita clarus es In hoc sensu non differunt. *Quomodo ergo discrepant?* Ob interdum significat ante: vt, fœda mors ob oculos erat: propter quandoq; prope significat: vt, Et viridi in campo

tem

Templum de marmore ponam, Propter aquam. *SECVNDVM quot modis capitur?* Quinq; modis 1. Idem significat quod secus: vt secundum te sedeo. 2. capitur pro post & quasi secundo loco: vt proxime secundum Deos, homines hominibus prosunt. 3. significat pro: vt secundum te iudico. 4. significat in: vt secundum quietem tua imago mihi observata est: 5. notat opinionem vel sententiam: vt secundum Solonem, nemo censetur beatus ante obitum. Id est Solon est in ea sententia, beatum esse neminem ante obitum. *Cedo Præpositiones ablatiuum regentes* A, ab, abs, &c. *A quibus dictionibus præponitur?* Dictionibus incipientibus a consonante vt a foro a castris. *Ab, quotuplicibus dictionibus præponitur?* Quadruplicibus. 1. dictionibus a vocali non aspirata incipientibus: vt ab omnibus 2. incipientibus a vocali aspirata: vt non hospes ab hospite tutus. 3. incipientibus ab i, consonante: vt ab Ioue. 4. præponitur incipientibus a liquidis l: & r: vt ab lege, ab rege. *Abs quibus dictionibus præponitur?* Præcipue præponitur dictionibus incipientibus a q. & t: vt abs Tito: abs quivis homine beneficium accipere gaudeas. *A, ab & abs vtrum idem an diversa significant?* Idem significant. *Quotuplicem habet A significationem?* Quadruplicem: 1. capitur pro ab: vt a legente. 2. pro post: vt O Iane a tergo quem nulla Ciconia pinsit. 3. defensionis vim habet: vt, a bonorum causa stetit. *Quid hoc est?* Id est, pro partibus bonorum stetit. 4. munus aut officium notat; vt, a rationibus: a secretis. *Quot partibus orationis postponitur Cum in compositione?* Duabus. *Doce?* Nomini: vt quibuscum 2. Pronomini: vt mecum. *CORAM ANTE & PALAM quomodo in sua sensu conveniunt?* Evidentiam quandam notant. *Quomodo discrepant?* Ante de rebus quæ vel longe, vel prope sunt intelligi potest: Coram proximitatem significat, sed certas personas notans. Palam proximitatem notans, ad omnes refertur in latiori sensu: vt, ante oculos, coram testibus, palam omnibus. *Quæ præpositio his opponitur?* Clam: vt clam custodibus. *DE, E, & EX, quomodo differunt ab A?* Illæ materialem sed A efficientem causam semper notant: vt a puero fit sermo, de lana caprina, ex composito, nec e republica. *Quibus dictionibus præponuntur de, e & ex?* De, & e, præcipue præponuntur dictionibus incipientibus a consonante, Ex, dictionibus incipientibus vel a vocali vel consonante. *PRO quot modis capitur?* Tribus modis. 1. vicem notat: vt pro vehiculo id est, vice vehiculi. 2. ante denotat, vt pro foribus. 3. significat in vt pro rostris. *PRAE quot modis capitur?* Duobus modis. 1 significat ante: vt præ cunctis es honorandus. 2. comparationis vim ha-

bet vt hic ego illum contempsi præ me. *IN, cum regit accusatiuum quotuplicem motum notat?* Duplicem. 1. manifestum: vt redeo in gratiam. 2. motum latentem: vt avaritia crescit in horas. *Quot modis capitur in, regens accusatiuum?* Tribus modis. 1. notat motum ad rem: vt, ibis in vrbem. 2. capitur pro contra: vt crudelis in privignos noverca. 3. pro erga: vt mens benigna in Teucros *Sub quot modis capitur dum regit accusatiuum?* Tribus modis. 1. notat motum ad rem: vt eo sub tectũ 2. capitur pro paulo ante: vt. sub cœnam paulisper ambula 3. pro statim post: vt, sub hæc verba *IN & SVB quando regunt ablatiuũ?* Cum in loco, aut alia re quid fieri significamus: vt, in templo: sub vmbra. *Da exemplum vbi in capitur pro inter?* Vt, Ripheus iustissimus in Teucris. *Nonne CLAM etiam regit accusatiuum?* Quidni. *Da exemplum?* vt, Clam Dominum caute furantur nocte latrones. *Super quot modis capitur:* Tribus modis: 1 adversatur Præpositioni subter: vt super aera æther est. 2. capitur pro vltra: vt, super Indos proferet imperium 3. pro præter: Suetonius ait: super cætera flagitia. *Super cum regit ablatiuum quot modis capitur?* Tribus modis. 1. pro de: vt, Multa super Priamo rogitans 2. superiorem notat tactum: vt fronde super virili. 3. capitur pro propter: vt super hac re non moveor *Præpositio in compositione quot officia habet in variando significationem dictionis simplicis?* Quatuor. 1. retinet significationẽ simplicis vt paro præparo. 2. auget sensum: vt perdoctus. 3. minuit: vt subtristis. 4. mutat vt indoctus. *Ipsæ voces quot diversis modis variantur in compositione?* Quatuor. 1. voces manent integræ: vt adfero. 2. aliquid additur: vt reddo: hic (d) interponitur inter re & do. 3. aliquid deletur: vt cogo: a con & ago. 4 aliquid mutatur: vt colligo: a con & lego. *QVOT figuræ accidunt præpositioni?* Tres: Anastrophe, Archaismos & Protheseos parallage: *Anastrophe quid est.* Est dictionũ præposterus ordo. *Quid hoc sibi vult?* hoc est præpositio postponitur quæ præponi solebat: vt Italiã contra *Quot modis fit Anastrophe?* duobus modis. 1. in compositione: vt nobiscum. 2. extra compositionem vt maria omnia circum. *Archaismos quid est?* Est casus pro casu positio: vt longo post tempore venit. *Resolve.* Id est, post longum tempus. *Protheseos parallage quid est?* Est Præpositionis pro præpositione positio: vt, Multa super Priamo rogitans: id est, de Priamo. *Cum duæ Præpositiones coniunguntur in oratione quem casum regunt?* Regunt casum posterioris præpositionis. *Cur non regunt casum prioris Præpositionis?* Quia prior Præpositio adverbiascit. *Cum quot casibus igitur construuntur posteriores Præpositiones??* Cum du-

duobus. 1. cum accusativo: vt Ex ante diem: vsq; ad lucem. *Da authoritatem?* De Q. fratre nuncii nobis tristes, nec varii venerant ex ante diem nonas Iun. vsq; ad pridie Kal. Septemb. *Quis author?* Cicero ad Atticum lib. 3. epist 17. 2. cum ablativo: vt procul a terra: vsq; a capite. *Da authoritatem?* Cum a genere ducetur argumentum, non erit necesse vsq; a capite arcessere. *Quis author?* Cicero. *Quotuplices Præpositiones transeunt in naturam adverbiorum?* Triplices, 1. quæ regunt accusativũ solum: vt Tinnitusq; cie, & matris quate cymbala circum. 2. quæ regunt ablativum solum: vt I præ, sequar. 3. quæ regunt & accusativum & ablativum: vt, Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu.

INTERIECTIO

I*Nteriectio quid est?* Est pars orationis quam affectus cuiusque temere exprimit. *Vnde dicitur interiectio?* Ab interiicio. *Quare?* Quia aliis partibus orationis interiicitur seriem orationis interrumpens. *Significationes Interriectionum quot sunt?* Pene innumeræ. *Da gaudentis?* Evax, oh, o. *Da dolentis?* heu, hei, o, ah. *Da admirantis?* Papæ, vah, o. *Da expaventis?* Atat, hei, ah. *Da deridentis?* Aha, ehe, ahu, ohi, hui: *Da satiati Interiectiones?* Ohe. *Da exclamantis* Proh, oh, ah. *Da irascentis?* nefas, malim, nefandum, pro-nephas, o. *Da laudantis?* Euge. *Da vocantis?* eho, ho. *Da fugantis?* Apage. *Da ridetis?* ha, ha ha. *Da deprehendentis?* Atat. *Da silentis?* Au, ast, si. *Da minantis?* Vt, veh, si. *Quot modis legitur interiectio in diversa significatione?* Duobus modis. *Primo?* Cum legitur in diversis partibus orationis. *Da exempla?* vt nefas, nefandum. *In quibus partibus orationis leguntur?* In nomine, & interiectione. *Secundo?* Cum vna dictio habet diversas interiectionum significationes: sicut interiectio, o. *In quibus significationibus legitur?* O est interiectio gaudentis, admirantis, dolentis, exclamãtis. *Atat, in quibus significationibus legitur?* In interiectionibus timentis, & deprehendentis. *Voces avium, & brutorum cui parti orationis sunt simillimæ?* Interiectioni. *Quare?* Quia quamvis non ponantut in oratione cum aliis dictionibus & etiam voces sint inarticulatæ, tamen affectiones brutorum exprimunt. *Exempla?* Vt latratus irã canis, Vlulatus canis dolorem, vel tristitiæ cuiusdam sensũ exprimunt. *Quot sunt interiectionum Proprietates?* Tres: 1. In omnibus fere linguis conveniunt. 2 Alterius vocis adiumento non egent. 3. Pleræque vocalibus & literis aspiratis constant. *Quid exprimunt vocales interiectionum?* Exprimunt primos naturæ affectus, & sæpe mœstos. *Quis vsus est aspirationũ?* Explicant suspiria & sunt notæ difficultatis, & vehementiæ. *Cedo exemplum?* Vt proh, plus efficit quam pro. *Quis hoc asserit?* Scaliger.

CONIVNCTIO.

CONIVNCTIO *quid est?* Est pars orationis quæ & dictiones & clausulas connectit. *Quomodo ab aliis vocatur hæc pars orationis?* Particula connexilis sive connexiva ab aliis etiam convinctio. *Quotuplex est Coniunctio?* Triplex: *Doce?* Axiomatica, syllogistica, vel methodica. *Repete hanc divisionem aliis verbis?* Est enunciativa, ratiocinativa & ordinativa. *Axiomatica quid est?* Connectit subiectum & prædicatum. *Quomodo aliter respondes?* Est quæ connectit partem antecedentem & consequentem axiomatis, seu propositionis. *Quotuplex est Coniunctio axiomatica?* Duplex: Congregativa & segregativa. *Congregativa Coniunctio quid est?* Est quæ verba & sensum coniungit. *Congregativa Coniunctio quotuplex est?* Duplex: *Doce?* Copulativa & Conditionalis. *Copulativa quid est?* Est quæ simpliciter copulat verba & sensum, vt, &, atque, cum, ac, que, &c. *Coniunctio perfectivæ potestatis estne copulativæ potestatis?* Maxime. *Quare?* Quia copulat media cum suo fine *Cedo exemplum connexionis?* Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones. *Conditionalis quid est?* Est quæ sub conditione coniugit verba & sensum, vt, si, sin, ni, nisi. *Da exemplum connexionis?* vt Si vales, bene est. *Coniunctio conditionalis quomodo aliter vocatur?* Vocatur connexiva. *Segregativa Coniunctio quid est?* Est quæ verba coniungit, sensum disiungit. *Quotuplex est?* Triplex: discretiva, disiunctiva, & dubitativa. *Discretiva quid est?* quæ Quæ copulat ea quæ discreta esse volumus: vt sed, at, ast, atque, sedenim, enimvero. *Da exemplum connexionis?* Vt non formosus erat, sed erat facundus Vlysses: *Disiunctiva quid est?* Est quæ ea distinguit quorũ alterũ non vtrunq; affirmamus: vt, ne, aut væ vel seu, sive. *Da exemplũ connexionis?* Vt aut bibe, aut abi. *Dubitativa quid est?* Est quæ coniungit ea quorum affirmatio & negatio est magis incerta: vt ne an, vtrum, necne, num. *Da exemplum Connexionis?* vt num dolor an requies sit domi peregre profectum latet. *Syllogistica connexio quid est?* Est quæ maiores partes Syllogismi connectit. *quænam sunt illæ partes?* Quæstio & argumentum *Cedo aliam harum appellationem?* Quæstio etiam conclusio vocatur, sicut argumentum, præmissæ propositiones. *Syllogistica coniunctio quotuplex est?* Duplex: causalis & rationalis. *Causalis coniunctio quid est?* Est quæ sententiæ causam reddit: vt nam, namque, enim, quia, quoniam, quandoquidem. *Cedo exemplum connexionis?* Vt superbit, quia dives est: *Rationalis coniunctio quid est?* Est quæ notat sententiã quæ ex dictis infertur & concluditur vt ergo, igitur, itaque, ideo idcirco, quocirca, &c. *Quomodo aliter vocatur?* Conclusivæ. *Cedo exemplum connexionis?* Vt Æger est, ergo languet. *Methodica coniunctio quid est?* Est quæ partes longioris orati-

rationis connectit *Possunt-ne Axiomatica & Syllogistica huc pertinere?* Dum in prolixiore oratione leguntur huc spectant. *Possunt-ne oratorum prolixa orationes ad enunciationem reduci?* Etiã. *Hoc exemplo ostende?* Vt Ciceronis prolixæ orationes in Catilinam tandem ad hoc axioma reduci possunt, viz. Catilina est hostis patriæ. *Quotuplices coniunctiones raro syllogismum ingrediuntur?* Quintuplices. 1. Dubitativæ. 2. Expletivæ, vt quidem, equidem, scilicet, profecto, nimirum. *Cur expletiva dicuntur?* Quia clausulam post se inferunt, quæ prædictorum sensum explet: vt haud equidem invideo. 3. Adversativa coniunctio. *Quid est adversativa?* Est qui rem adversarii suspectam ostendit, vt etsi, tanquam, quanquam, quamvis. 4. Adversativarum redditiva. *Quid est adversativarum redditiva?* Est quæ rem non impeditam ab adversante suspecto promit vt tamen, attamen, sedtamen, &c. 5 imminutiva. *Imminutiva quid est?* Est vltimum dicentis refugium rẽ aliquam obstaculi expertem volens: vt saltem, at, licet. *Quem vsum habent coniunctiones adversativa cum harum redditivis & imminutiva inter se in oratione?* Coniunctiones redditivæ sæpe inferuntur ab adversativis, & imminutivæ dependent ab vtrisque. *Cedo exemplum vbi sit harum triũ coniunctionum vsus in vna oratione?* Vt, Etsi Leo animal sit fortissimum, tamen non vbiq; fremit, saltem supplicibus parcit. *ORDO coniunctionis quid est?* Est quo illa in oratione præponitur vel postponitu *Quotuplex est?* Triplex: præpositivus, postpositivus, & communi *Præpositivus quid est?* Est quo Coniunctio præponitur dictionibus v sententiis quibus cohæret: suntq; ac, atque, nec, neq; si, sin, sive, au vel, at, ast, sed; nam. *Subiunctiv quæ sunt?* Quæ secundum in sentetiis, aut tertium locum occupant suntq; que, ve, ne, pro an, quoq; vero, autem, enim, & quidem pro cete. *Ordo communis, seu translatiti quid est:* Est quo coniunctio pro arbtrio dicentis præponitur vel postponit *Quæ sunt huiusmodi coniunctione* Omnes reliquæ. *Dictio suspensiv quid est?* Est quæ audientis attentinem suspendit, vt plura audiat, q quæ adhuc prolata sunt. *Diction suspensiva cuius sunt partis orat nis?* Sunt omnium partium oration *Hoc ostende?* Mentem suspendu adiectiva nominalia, pronominalia participialia, donec iis substantiva f erint addita. Dictio necessario casu regens mentem reddit avidam dic onis rectæ audiendæ, vt cum dico, v cor, adhuc exspectatur vox Petrus a Iohannes &c Cum dico, sedeo, pud, expectatur, vox, Patrem, foc &c. *Suspensiva coniunctio quotupl est:* Duplex. *Doce.* Quæ geminatur, quæ non geminatur. *Quotuplices iunctiones suspensiva geminantu* Duplices: Copulativæ & disiuncti *Quot copulativa geminatur.* Om *Cedo exemplũ vbi copulativa gem antur.* Vt, & fugis & pugnas. *Cedo emplũ vbi disiunctiva geminan* vt

aut bibe, aut abi. *Quæ coniunctiones suspensivæ sunt, cum non geminentur:* Omnes reliquæ. *cedo exemplū:* Cum dico: (si dies est) expecto plura dicenda Cum dico: Si dies est, nox non est, hic sententia perficitur. *Vt quotuplex est?* Duplex: Adverbium & Coniunctio *Vt adverbium quotuplex est?* Sextuplex: 1. Adverbium optandi & capitur pro vtinam. 2. similitudinis & capitur pro sicut. 3. temporis & capitur pro postquam vel quando. 4. Interrogandi, & capitur pro quomodo. verbi gratia, vt vales. 5. Comparandi & capitur pro quam. Plautus ait, vt nunc male eum metuo: id est quam vel quantum eum metuo 6. Est nota admirātis· vt, vt vidi, vt perii &c. *Vt coniunctio quotuplex est?* quadruplex. 1. Perfectivæ potestatis, & telicon vocatur, quia causam finalem notat. *Quid significat vt in hoc loco.* Id est in eum finem 2, Effectivæ potestatis *quid est effectiva potestas?* Est quæ affirmat vel negat aliquod effectum esse quod ex dictis inferri videtur, Vt nullum est tam impudens mendacium, vt teste careat. *Quibus vocibus redditur vt effectivum:* Vocibus tam, talis, tantus, tot, ita, adeo. *cedo exempla?* Adeo ebrius est vt insaniat. Tam insipiens est, vt quinque non numeret· Talis est homo, vt vix ei credas. 3. Est adversativæ potestatis: & capitur pro quamvis. vs, vt desint vires, tamen est laudanda voluntas. 4. capitur pro ne non, & est etiam effectiva potestatis: vt metuo, vt substet hospes. *Da Coniunctiones effectivæ potestatis:* vt, quo, quod, ne non. *Da coniunctiones perfectivas:* Vt, vti, quo pro vt, & ne pro vt non. *Ne quotuplex est:* Septuplex. 1. Est præsens imperativi a verbo neo. 2. Est adverbium interrogandi: vt visne scribere 3. Adverbium prohibendi, vt, ne scribe. 4. Adverbium negandi: vt ne scribit ille quidem. 5. Adverbium optandi: vt. ne valeam, si non totis Deciane, diebus & totis tecum noctibus esse velim. 6. Coniunctio dubitandi, vt forisne an domi maneam incertus sum. 7. Est Coniunctio potestatis perfectivæ vt omnes homines studere decet, ne vitam silentio transigant, vt pecora *Næ cum dipthongo quæ pars orationis est?* Est Adverbium respondendi affirmative, & capitur pro certe. vt, næ tu homo es egregius. *Cum & quum quomodo fiunt adverbia:* Si significant quando, adverbia sunt. *Dum coniunctiones sunt quid significant:* Significant quandoquidem *Da exemplum prioris significationis:* vt Cum fueris fœlix, multos numerabis amicos. *Da exemplum posterioris significationis:* vt Quum tua non edas carpis mea carmina Lœli *Quin quotuplex est:* Triplex: 1. Adverbium interrogandi. & capitur pro cur non, vt quin accersis medicum: 2: Coniunctio discretivæ potestatis. & capitur pro sed: vt quin etiam mercator dedit mihi auctarium, 3. Coniunctio effectivæ po-

te-

estatis & capitur pro vt non, vt nulla res est tã facilis, quin difficilis sit si invitus facias. Reliqua de coniunctione habentur lib: 2: cap: 8.

ANNOTATIO GENERALIS.

QVot sunt consideranda in omni parte orationis? Tria: definitio, divisio, & accidentia. *quot modis dividitur omne vocabulum?* Duobus modis: 1. In Primitivum & derivativum. *Vnde sumitur hæc divisio?* A varia notatione secundum dictionum formationem. *Primitivum quid est*: Quod ab alio nõ derivatur, vt bonus. *Derivativum quid est?* quod a Primitivo formatur, vt bonitas. 2. in simplex & compositum. *Vnde sumitur hæc divisio?* A figura dictionis. *Simplex quid est?* Est dictio non ex pluribus facta vt doctus. *Composita dictio quid est?* Est quæ componitur ex pluribus dictionibus vt indoctus. *Quotuplex est dictio secundum suam originem?* Duplex: Prima & facta. *Dictio Prima quid est?* Est quæ non habet originem aliunde, vt doceo. *Dictio facta quid est?* Est quæ habet originem aliunde, vt doctrina a doceo. *Dictio facta quotuplex est?* Duplex: facta inflexione, & facta compositione *Quomodo vocatur facta inflexione?* Vocatur dervata vt a iusto, iustitia, a dormio, dormito. *Quomodo vocatur dictio facta compositione?* composita, vt pes; bipes. *Dicomposita vox quid est?* est quæ bis componitur vt ineluctabilis. *Ineluctabilis vnde componitur?* Primo componitur ab in & eluctabilis, Secundo, eluctabilis componitur ab e & luctabilis *Nomen derivatũ quotuplex est si respicias rerum essentiã & existentiam?* Duplex Abstractum & concretum. *Abstractum quid est apud grammaticos?* Est nomen derivatum a nomine, rei essentiam significans, vt a durus, durities, a bonus, bonitas. *Concretum nomen quid est apud Grammaticos?* Est Adiectivum a substantivo derivatum existentiam rei in subiecto notans, vt virilis a vir, generosus, a genus. *Quæ voces significant actionum essentias?* Substantiva verbalia plurima, vt dictio, lectio, auditio, visio. *Quæ voces notant actionum existentiam in subiecto?* Ipsa verba, participia, & nomina Adiectiva verbalia, vt audio, video, audiens, videns, audibilis, visibilis.

SYN-



SYNTAXIS.

Liber secundus Syntaxeos præcepta illustrans.

Cap. I.

C*Vi parti Grammaticæ integrali seu essentiali debetur Constructio* : Orationi. QVOT *sunt consideranda in omni oratione?* Duo, *Quæ?* Constructio & resolutio. *Quid est Constructio?* Est debita partium orationis inter se compositio. *Quotuplex est Constructio?* Duplex. *Doce?* Iusta & figurata, *Responde aliter?* Est perfecta & anomala. *Vnde sumitur hac divisio?* Ex coordinationis consuetudine. *Constructio iusta quid est?* Est quæ communes regulas & præcepta servat. *Figurata quid est?* quæ a regulis communibus recedit. *Perfecta seu iusta Syntaxis quotuplex est?* Duplex: Convenientia & rectio. *Vnde sumitur hac divisio?* A potestate cohærendi *Convenietia quibus aliis nominibus insignitur?* Vocatur cõcordantia, cõgruentia, & constructio intransitiva. *Rectio quibus nominibus appellatur?* Appellatur etiam regimen, exigentia casuũ, & constructio transitiva. *Convenientia quotuplex est:* Duplex. *Doce?* Formalis, & accidentalis. *Vnde sumitur hac divisio?* A cohærentia dictionum per accidentia. *Formalis convenientia quid est?* Est qua dictiones in hoc solum cõveniunt vna alterius formã mutuo explanet. *Forma dictionis quid est?* Est dictionis sensus seu significatio. *Materia dictionis quid est?* Est vox ipsa vel scripta vel ore prolata. *Quæ est causa dictionum efficiens?* Quicunq; loquitur: vt Angelus, homo &c. *Quis est dictionum finis?* Eorum quæ sunt in animo manifestatio. *Quomodo differunt res significata, & rei significatio?* Res significata est res de qua fit sermo loquentis. Significatio est accidens, qua dictio apta est rem vnam ab aliis discernere & notam reddere: sicut voce (lapis) discernitur res lapidea ab arbore, ab aqua & igne, &c. *Accidentalis convenientia quid est?* Est qua dictiones præter mutuam inter se explicationem illam, conveniunt etiam in aliis accidentibus. *In quot accidentibus fit accidentalis convenientia?* In quatuor. *Doce?* In genere, numero, casu & persona. Convenientia formalis habetur cap. 8. *Convenientia accidentalis quotuplex est?* Sextuplex est. *Doce?* Convenientia nominativi & verbi: Substantivi & adiectivi: Relativi & antecedentis, duorum substantivorum, ad eandem rem pertinentium: Interrogativi & responsivi: & adiectivorum quæ regunt genitivum pluralem,

CAP.

Cap. 21.

ominativi & verbi convenientia.

QVot modis construitur Verbum? Duobus modis: ante & post se. *Quomodo constru r Verbum ante se?* Distinguo. *uomodo?* Si sit verbum perso- le vel impersonale. *Quem ca m habet verbum personale an- se?* Distinguo. *Quomodo?* Si verbum finiti vel infiniti mo- . *Quem casum habet ante se rbum personale infiniti modi?* ccusativum: Vt, aiunt Regem ventare. Reliqua de infinitivo bentur cap. 24. *Quem casum bet verbum impersonale ante ?* Nullum casum. *Quem casũ bet ante verbum personale fi- iti modi?* Nominativum. *Con- ructio nominativi & verbi, v- um est convenientia vel rectio* st & convenientia & rectio. *uare?* Quia definitiones vtri- sq; pertinent ad hanc constru- ionem. *Cur est rectio vel re- imen?* Quia verbum exigit unũ ertum casum prae aliis, via. no- ninativum *Cur est convenientia* Quia nominativus & verbum conveniunt in certis accidentibus *n quot accidentibus conveniunt* In duobus. *In quibus?* In nume o & persona. *Quid hoc est, con- venire in numero & persona?* Est esse eiusdem numeri & personæ. *Da exemplum?* Vt nos scribimus *Cuius numeri & quota persona sunt?* Pluralis numeri, & primæ personæ. *Quot modis ponitur nominativus ante verbum?* Duobus modis: expresse, vel subaudite. *Da exemplum vbi exprimitur?* Vt tempora labuntur. *Da exemplum vbi subauditur?* Vt pluit. *Quot modis subauditur nominativus casus?* Quatuor modis: 1. in verbis primæ & secundæ personæ. *Cur subauditur nominativus verbis prima & secũda persona in singulari?* Quia notum est solum nominativum Ego esse primæ, & Tu esse secũdæ personæ in singulari. *Cur subauditur nominativus verbis prima & secunda persona pluralis numeri?* Quia certum est nullum esse nominativum pluralem primæ personæ præter Nos: nec secundæ præter Vos. *Exprimiturne aliquando nominativus prima & secunda persona?* Etiam. *Quot modis hoc fit?* Duobus modis. *Primo?* Cum sit emphasis in oratione. *Emphasis quid est.* Est quando minus dicitur & plus intelligitur: vt, Tu audes ista loqui. *In hoc exemplo quid dicitur, quid intelligitur?* Nominativus Tu dicitur: Indignus, aut malus, aut simile vocabulum intelligitur *Secundo?* Cum fit discretio. *Discretio quid est?* Est quando vnius, aut plurium e multis fit exceptio: vt nos accusamus, vos damnastis. *Secundo, quibus verbis subauditur Nominativus?* Verbis lo-

loquelæ in tertia persona plurali. *Quare?* Quia nullus nominativus subauditur præter homines. *Da exemplum?* Vt, Teq; ferunt iræ pœnituisse tuæ. *Tertio?* Nominativus subauditur ex prædicto. *Quid hoc est?* Cum Nominativus exprimitur primo orationis verbo sequentibus verbis in eadē oratione sæpe subauditur. *Da exemplum?* Vt, æquus iudex absolvit iustos, damnat iniustos, & punit damnatos. *Quarto?* Verbis exceptæ actionis: vt tonat, fulminat, ningit, diescit. *Quid est verbum exceptæ actionis?* Est cuius actio DEO, vel naturæ tribuitur, *Cur his verbis subauditur nominativus?* Quia nullum habent nominativum nisi Deus, vel natura: Vt, Nunc pluit & clarus, nunc Iuppiter æthere surgit. *Quot modis ponitur aliquid loco nominativi?* Sex modis: 1. infinitivus sine casu: vt furari est malum. *Pro quo nominativo ponitur furari?* Pro nomine furtū. *Da aliud exemplum?* Vt, legere & non intelligere, negligere est. 2. Infinitivus cum accusativo ante se: Vt, Tyrannos vivere non expedit Reipublicæ. *Quomodo vocatur hoc genus orationis?* Vocatur dictum a Dialecticis. *Dictū quid est?* Est oratio infinitivi cum accusativo ante se. 3. Infinitivus cum aliquo casu post se: vt servire Deo est regnare 4. Appellatum. *Quid est appellatum?* Est tota oratio nominativi & verbi præcedente quod, vt, ne, aut simili particula. *Da exemplum?* Quod studes, est tibi conducibile. *Verte hoc appellatum in dictum?* Te studere, est tibi conducibile. 5. Quædam adverbia: vt satis pecuniæ restat tibi. 6. Vox materialis: vt In est Præpositio, Scribo coniugatur vt lego. *Quæ dictiones sumuntur materialiter?* Omnes, si non respicias significationem, sed nudam vocem. *Possunt ne nominativus & verbum esse diversi numeri?* Quid-ni, *Quot modis hoc fit?* Duobus modis. 1. In nominibus collectivis: vt pars in frusta secant. *Quis est hic nominativus quod est verbum?* Pars est Nom. secant verbum. *Cuius numeri sunt?* Pars est singularis: secant pluralis numeri. *Conveniunt-ne aliquo modo in numero?* Etiam. *Quomodo.* Sensu sed non voce. *Per quam figuram?* 1. Per Synthesin. 2. cum plures nominativi singulares copulantur per coniunctionem, *Quod verbum quarunt?* Verbum pluralis numeri: vt Petrus & Ioannes ludunt. *Possunt ne nominativus & verbum esse diversa persona?* Non totaliter sed in parte, *Quid hoc sibi vult?* Cum tota oratio nominativi dissentit a verbo *Quot modis discrepant in parte aliqua?* Tribus modis. 1. Cum nominativus primæ personæ iungitur nominativo secundæ requiritur verbum primæ personæ: vt ego & tu scribimus. *Cur*

potius

hic dicis scribimus, quam scribitis? Quia scribimus est dignioris personæ. 2. cum Nom. primæ iungitur nominativo tertiæ: vt ego & frater currimus. 3. cũ nom. tertiæ iungitur nominativo secũdæ: vt tu & pater estis in periculo Reliqua vide in figuris viz. evocatione, conceptione, & c.

Cap. 3.
Substantivi & adiectivi convenientia.

IN quot accidentibus conveniunt Substantivum & Adiectivum? In tribus: viz. genere, numero & casu. *Substantivum quomodo aliter dicitur?* Fixum. *Quare?* Quia firmum est, nec movetur de genere in genus. *Adiectivũ quomodo aliter vocatur.* Mobile. Quare? Quia movetur de genere in genus: vt bonus, a, um. *In quot generibus conveniunt substantivum & adiectivũ?* In tribus: 1. in masculino: vt Vir bonus. 2. in fœm. iniusta noverca. 3. in neutro: ut dulce pomũ. *Quotuplex Adiectivum convenit cũ substantivo?* Triplex. 1. Nominale: vt sævus vitricus. 2. Pronominale, vt liber meus. 3. Participiale: vt liber legendus. *Substantivum quotuplex est?* Dnplex. Proprium & Appellativum. *Possunt-ne substantivum & adiectivum aliquando esse diversi numeri?* Etiam. *Quot modis hoc fit?* Duobus modis 1. Cum plura substantiva singularia copulantur per coniunctionem: vt, Virgilius & Ovidius sunt docti. 2. cum copulantur per Præpositionem, cum vt Iuno cum Minerva tristes. *Possuntne substantivum & adiectivum esse diversi generis?* Etiam. *Quando?* Cum plura substantiva diversi generis ad vnum adiectivum referuntur. *In quo genere ponitur Adiectivum.* In digniore genere: vt, Petrus & Anna sunt pii. De dignitate generis, vide figuram conceptionis *Adiectivum quot modis substantivatur?* Tribus modis. 1. in masculino genere, vt molaris. *Quid subauditur in voce molaris?* Dens; vel lapis. 2. in fœminino genere: vt arida. *Quid intelligitur.* Terra 3. in neutro genere vt iustum: *Quid subauditur.* Nihil subauditur. *Si Adiectivum substantivatum in neutro genere, nihil habet subauditum, quot modis resolvitur?* Tribus modis. 1. Per nomen res: vt Variũ & mutabile semper fœmina. *Resolve hac adiectiva substantivata (varium & mutabile)?* Id est, res varia & mutabilis. 2. per nomen pars: vt frigidissimum hominis est cerebrum. *Resolve vocabulum (frigidissimum).* Id est, pars frigidissima. 3. Per nomen abstractum: vt, servantissimus æqui. *Resolve vocabulum (æqui).* Id est æquitatis.

CAP.

Cap. 4.

Relativi & antecedentis Constructio.

Q*Va est tertia Constructio intransitiva?* Relativi & antecedentis. *Relativum quid est.* Quod repetit dictionem aliquam præcedentem. *Antecedens quid est?* Quod præcedit relativo. *Antecedens quomodo vocatur dum repetitur post relativũ?* Vocatur dictio repetita. *Quomodo convenit relativum cum antecedente?* In genere numero, & persona: vt accepi tuas literas, quæ mihi magnopere placuerunt. *Ostende hic relativum & antecedens?* Literas est antecedens, quæ est relativum. *Declara convenientiam?* Sunt singularis numeri, fœminini generis, tertiæ personæ *In quot conveniunt relativum, & repetita dictio?* In quatuor. *Doce?* In genere. numero, persona & casu: vt Quo semel est imbuta recens servabit odorem, testa diu. *Ostende hic relativum, antecedens, & repetitam dictionem?* Odorem, quo, odore. *Declara convenientiam relativi & repetitæ dictionis odore?* Sunt singularis numeri, ablat. casus, masculini generis, tertiæ personæ. *Relativum quotuplex est?* Duplex: Substantiæ & accidentis. *Relativũ substantiæ quid est?* Quod repetit antecedens substantivum: vt vir sapit qui pauca loquitur. *Repete Relativa substantiæ?* Qui, quæ, quod, is, suus, ipse, sui, ille, idem, alius, alter, reliquus, cætera, cæterum. *Substantiæ relativum quotuplex est?* Duplex: similitudinis, & diversitatis. *Similitudinis relativum quid est?* Quod idem cum suo refert antecedente. *Repete relativa similitudinis?* Qui, quæ, quod, is, suus, ipse, sui, ille, idem. *Diversitatis relativũ quid est?* Quod antecedens diversum refert a consequente cum quo concordat: vt amo Laurum & cæteras arbores. *Ostende in hoc exemplo, relativum, antecedens & consequens?* Vox (cæteras) est relativum laurum (arborem) subaudi, antecedens, & arbores cõsequens. *Relativa diversitatis an omnimodo diversum referunt ab antecedente?* Non. *Quare?* Quia non essent relativa si non aliquid prædictum referrent. *In hoc exemplo amo laurum & cæteras arbores quid prædictum quid diversum repetitur?* Generale vocabulum arborem prædictum est implicite in voce laurum, repetitur in voce arbores. Sed cæteræ arbores sunt aliquid diversum a lauro, viz species aliæ. *Repete Relativa diversitatis?* Alius, alter, reliquis, cætera, cæterum. *Accidentis Relativum quid est?* Quod refert antecedens Adiectivum. *Quæ sunt illa Relativa?* Qualis, quantus, quot, quotus, quotennis, quotuplus, cu-

ius,

ius,cuias. *Da exemplum connexionis?* Vt Sum albus, qualis est Pater. *Quod est relatiuum, quod antecedens?* Qualis est Relatiuum, albus antecedens. *An illud Adiectiuum albus repetitur cum Relatiuo qualis?* Repetitur vel secundum sensum vel vocem. *Quot modis exprimi potest vox albus pro repetita dictione?* Duobus modis. 1. Cum nominativus qualis mutatur in genitivum repetitur genitivus abstracti albedinis. *Exemplum?* Sum albus, qualis albedinis est Pater. 2. cum vox qualis mutatur in Adverbium similitudinis, manet vox albus. *Exemplum?* vt sum albus sicut Pater est albus. *In hoc exemplo (quem scribo librum bonus est) estne librum antecedens?* Est dictio repetita, seu antecedens repetitum: alioqui adiectivum bonus poneretur in oratione sine Substantivo. *Resolve igitur orationem (quem scribo librum bonus est)?* Liber quem librum scribo, bonus est: *Cur ponitur repetita dictio in eodem casu cum relatiuo?* Quia reguntur ab eodem verbo. *Cedo aliud exemplum* Vrbem quam statuo vestra est? *Resolve?* Id est vrbs quam vrbem statuo vestra est. *Cum Relatiuum ponitur inter casus diversorum generum cum quo horum casuum concordat relatiuum* Distinguo: Si casus sequens fuerit Proprium vel appellativum. *Si sequens fuerit Proprium cum quo conuenit Relatiuum?* Cum sequenti: *Da exemplum?* vt est locus in carcere, quod Tullianum appellatur. *Da exemplum vbi aliquando Relatiuum conuenit cum antecedente in genere licet casus sequens sit Proprium?* Propius a terra stella Iovis fertur, quæ Phaeton dicitur. *Si sequens fuerit appellatiuum cum quo conuenit Relatiuum?* Convenit vel cum casu præcedente vel sequente. *Da exemplum vbi relatiuum conuenit cum casu præcedente?* vt vnus erat toto naturæ vultus in orbe. Quem dixere chaos &c. *Da exempl. vbi conuenit cum casu subsequenti?* Vt Animal plenum rationis & consilii quē vocamus hominem. *Quid habes notandum de relatiuo in neutro genere?* Interdum totam orationem refert. *Quare?* Quia sæpe Relativum substantivatur in neutro genere. *Da exemplum?* vt Quod beatum isti ducunt vxorem nunquam habui. *Resolve?* Nunquam habui vxorem, quod, id est, quam rem isti ducunt rem beatam.

Cap. 5.

Appositio duorum substantivorum.

QVa est quarta Conuenientia? Convenientia duorum Substantivorum ad eandem rem pertinentium. *Quotuplex est substantiuum?* Duplex: Proprium & ap-

Appellativum. *Quot sunt propriorum nominum species?* Quatuor: Prænomen, nomen, cognomen & agnomen. *Nomen quid est in hoc loco?* Est Proprium singulorum vocabulum: vt Pontius, Tullius, Virgilius. *Prænomen quid est?* Est quod honoris causa nomini præponitur, vt Marcus, Publius, Magister. *Cognomen quid est?* Est familiæ & cognationis nomen. Vt Pilatus, Cicero, Maro. *Agnomen quid est?* Est quod ab eventu acquiritur: vt Naso. *Vnde datũ est hoc agnomen?* A magnitudine nasi. *Quæ species horum nominum mutatur in alias?* Agnomen mutatur in Cognomen, cognomen in nomen, & aliquando nomen in prænomen mutatur. *Cognomina sumpta a locis quot modis exprimuntur?* Duobus modis. 1. Per Adiectivum derivatum a nomine loci: Vt Baptista Mantuanus. 2. Per præpositionem & ipsum nomen loci: Vt Baptista a Mantua. *Per quas Præpositiones hoc fit?* per a, ab, e, ex. *Cedo exempla?* Anus e Corintho. Theophrastus e Lesbo. *In quot accidentibus conveniunt Propria nomina eandem rem significantia?* In tribus: In genere, numero, & casu: vt Pontius Pilatus: *In quot accidentibus conveniunt quævis duo substantiva eandem rem significantia?* In vno: viz. in casu: vt vrbs Roma. *Appositio quid est?* Est sine coniunctionis medio substantivorum ad eandem rem pertinentium in eodem casu positio: Vt vrbs Roma. *Quot necessaria requirit Appositio?* Tria. *Primo:* Vt sint duo Substantiva. *Cur dixisti: vt sint duo substantiva?* Quia si alterum nomen sit Substantivum, alterum Adiectivum, constructio erit Substantivi & adiectivi. 2. Vt significẽt rem eandem. *Cur rem significarent eandem?* quia si significent res diversas, vnum regeret alterum in genitivo. 3. Vt coniunctio non intercedat. *Cur illud adfers?* quia si intercedat Coniunctio convenientia formalis erit, & non accidentalis. *Da exemplum vbi verbum intercedit inter duo substantiva?* Vt Petrus est Apostolus. *Da exemplum vbi verbũ non intercedit?* Vt Petrus Apostolus. *Quot modis possunt substantiva in Appositione esse diversorum numerorum?* Duobus modis. 1. Vbi alterum altero numerorum caret: vt vrbs Athenæ. 2. vbi alterum est collectivum: vt Turba ruunt in me luxuriosa proci. *Vbi sunt duo substantiva hic:* Turba proci. *Quot de causis fit Appositio:* Tribus. 1. causa restringendi generalitatis, vt vrbs Gandavum, arbor Laurus. 2. Causa removendæ æquivocationis. *Da exemplum:* vt Leo signum ardet. *Quid est æquivocum:* Est dictio sub vna terminatione plura & diversa significans: vt canis, lepus. *Quæ significata habet canis:* Significat sidus cœleste & animal terrestre.

Qu

significata habet lupus? Significat piscem marinum & terrestre animal. *AEquivocum sortitur-ne aliud nomen?* Polysemum vocatur. *Quare?* Quia plura significat. 3. Causa attribuendae proprietatis. *Da exemplum?* Vt Plato homo doctissimus.

Cap. 6.

Interrogativi & Responsivi Constructio.

INterrogativum & responsivu in quot accidentibus conveniunt? In vno. *In quo?* In casu. *Da exemplum?* Vt quis dives? Qui nil cupiat. Quis pauper? avarus. *Interrogativum quid est?* Est rei dubiae vel tanquam dubiae postulativum. *Responsivum quid est?* Est orationis ad interrogata redditio. *Possunt-ne interrogativa & responsiva aliquando non esse eiusdem casus?* Possunt. *Quot modis hoc evenit?* Septem modis 1. Vbi casus nullus est. *Da exemplum?* vt vbi sedes? hic. 2. Quando interrog. & resp. non reguntur similiter ab eadem dictione: vt vbi est liber tuus? habeo duos libros. 3. Quando reguntur ab eadem dictione diversos casus regente. vt Quanti emisti chartam? Tribus assibus 4. Cum ad cuius genitivi casus respondent possessiva pronomina, Vt cuius est liber? Meus. *In hac interrogatione vnde regitur cuius?* A substantivo liber. *In responsione quomodo construitur liber?* Cum adiectivo meus. 5. cum ad qualis aut quantus respondetur proprietas, vel pars cum adiectivo laudis aut vetuperii. *Da exemplum?* Vt qualis fuit Salomon? Magnae sapientiae. 6. Cum ad cuius, cuia, cuium respondetur genitivus. *Da exemplum?* vt Cuium est pecus? Meleboei. 7. Quando ad quotennis respondetur genitivus. Vt Quotennis est Pater tuus? centum annorum. *Si quis roget, qualis es, responderes ne, homo?* Non. *Cur non?* Quia interrogativis danda sunt debita responsiva. *Quando dantur interrogatis debita responsiones?* Cum respondetur in eodem genere rerum de quo fit interrogatio. *De quotuplicibus generibus rerū commūniter fiunt aptae responsiones suis interrogatis?* de octodecuplicibus, 1. de substantia, vt quid emisti in foro? Emi boves. 2. de quantitate rei: vt quantus es, Bipedalis, 3. de qualitate rei: vt qualis es? Albus niger, sapiens. 4 de relatione rei: vt quis est domi vestrae? solus Pater. 5. de actione, vt quid facit frater tuus? scribit. 6. de passione: vt quae mala sustinuisti in militia? Vulnera, famem, incendia. 7. de loco, vt vbi est Hannibal? Carthagini. 8. de tempore, vt Quando rediturus est Christus? In fine seculi 9. de situ: vt quo gestu corporis precatus es Deum? flexis genibus, coniunctis manibus, & facie coelum versus. 10. de habitu, Qua veste vtuntur consules domi? Toga, praetexta, purpura.

11. de caussis, vt cur habitas ruri? Sanitatis caussa. 12. De effectibus, vt quid condis? domum, Quid scribis? literas, 13. de possessione: vt Cuius sunt ædes? Chremetis. 14. de præside: vt cuius est scriba? Regis. 15. De subditis vt quorum est Rex? Francorum, 16. de proximitate vt quorũ est vicinus? Petri. 17. De vocabulis artis: vt quot sunt literæ? Viginti duæ. quot sunt partes orationes? Octo. &c. 18. de rerum partibus: vt cuius arboris est radix? Oleæ, Pini.

Cap. 7.

Convenientia Adiectivorum cum genitivo plurali.

IN *quot conveniunt adiectiva cum genitivo plurali?* In vno. *In quo?* In genere. *Da exemplum?* vt vna sororum. *Quotuplicia adiectiva conveniunt cum genitivo plurali?* Quadruplicia. 1. Nomina partitiva: vt vnaquæq; fœminarum. 2. Nomina comparativi gradus: vt maior fratrum. 3. Nomina superlativi gradus: vt doctissimus Philosophorum. 4. Nomina numeralia. *Quotuplicia numeralia conveniunt cum genitivo plurali?* Duplicia. 1. Cardinalis: vt duo dentium exciderunt. 2. Ordinalia. vt quintus regum Romanorum. De his vide cap. 11.

Cap. 8.

De convenientia formali.

C*onvenientia formalis quid est?* Est qua dictiones in hoc solum conveniunt, vt vna alterius formam vel sensum mutuo explanet, & limitet. *Illustra illud exemplo?* Vt cum dico: eo scriptum: vox scriptum explanat caussam eundi, & limitat iter ad vnicam actionem scribendi. Item vox eo, explanat vocem, scriptum in hoc, quod ostendat actionem scribendi non hic intelligi præteritam, sed futuram: simul etiam vox eo determinat iter ad solam scribendi actionem, omnibus aliis actionibus exceptis. *Quæ sunt necessaria in formali convenientia?* Duo. Dictio declarans & dictio declarata. *Dictio declarans quid est?* Est quæ declarat in interpretatione orationis suæ pervenit, declarati sensum perficiens: vt disce scribere. *Dictio declarata quid est?* Est quæ prior in oratione sensum suum offerens declarantis munus exspectat ad sui significationem explanandum vt, bene scribit. *In hoc exemplo quæ est dictio declarata; quæ declarans?* Scribit est dictio declarata: bene, declarans. *VERBORUM formalis convenientia quotuplex est?* Triplex Modorum, Supinorum, & Gerundiorum. *Modorum formalis convenientia quotuplex est?* Quadruplex. 1. Infinitivi cum nominativo ante se: vt, peritus ludere. 2. Infiniti cum finito verbo: vt disce ludere, 3. Infiniti cum

finito: vt dicunt Iohannem vofisse ludere. 4. Finiti cum finito: cave ludas. Vide plura in cap. . *Gerundiorum convenientia rmalis quotuplex est?* Triplex erundiorum in di, do, vel in dū. *erundia in di quot modis conruuntur ante se?* Duobus modis. 1. ponuntur cum nominibus bstantivis: vt tempus legendi. cum nominibus adiectivis: vt eritus navigandi. *Gerundia in quot modis construuntur ante ?* Duobus modis. 1. ponūtur absolute: vt scribendo disces scribe. 2 habēt præpositiones regentes blativum ante se: vt deterres me scribendo. *Gerundia in dum uot modis construuntur ante se?* Duobus modis. 1. ponuntur absolute cum verbo est: vt scribendum est. 2 habent ante se præpositiones ad, vel inter, & ante: vt inter orandum terrena obliviscee. Vide cap. 25. *Supinum quotuplex?* Duplex. Prius & posterius *Prius Supinum quot modis construitur ante se?* Duobus modis. 1. cum verbo significante motionem ad locum: vt eo lusum. 2. ponitur absolute cum verbo est: vt pugnatum est. *Posterius Supinum quomodo construitur ante se?* Cum nominibus adiectivis: vt, Nil turpe dictu, visuq; hæc limina tangat, Intra quæ puer est Vide cap. 26. *ADVERBIA quot partibus orationis iunguntur?* Quinq;. 1. Nomini: vt admodum senex. 2. Verbo: vt bene cantat. 3. Participio: vt bene cantans. 4. alii Adverbio: vt sat cito si sat bene. 5. Præpositioni: vt, vsq; ad aras: procul ab omnibus *An vsq; & procul in his exemplis sunt Adverbia?* Cum non regunt casum adverbiascunt. *Quotuplicibus nominibus adhærent Adverbia?* Duplicibus. 1. Substantivis: vt admodum puer. 2. Adiectivis: vt admodum doctus. *Quotuplicibus adiectivis adhærent?* Triplicibus. Nominibus positivi, comparativi, & superlativi gradus. *Iunguntur-ne Adverbia aliis Adverbiis in his tribus gradibus?* Maxime. *Quotuplicia Adverbia iunguntur Positivis.* Quadruplicia. 1. Adverbia intendendi: valde, magnopere, impense, admodum, adeo, imprimis, cumprimis, mire, apprime, perquam, oppido, vnice: ut apprime miser: perquam difficilis quæstio. 2. Quātitatis in um: vt parū, multū, minimum, tantū, quantum, aliquantum. Item satis, omnino: vt satis vile pretium: non omnino malus: Vir multum bonus. Plautus ait: Timida es aliquantum soror. 3. Adverbia comparandi: magis, minus, maxime, minime, tam, quam, æque, ac: vt magis, vel maxime dives. 4. quædam adverbia qualitatis: vt bene munitus: male paratus. *Quæ Comparativis adhærent?* Quædam adverbia quātitatis paulo, nimio, aliquanto, tanto, quanto, quo, eo, vel hoc

multo, modico, longe: vt Tanto ditiores fiunt cives, quanto pax diuturnior. Virgilius ait: Pedibus longe melior Lycus: Paulo deterius valeo, quam soleo. *Quæ adduntur Superlativis?* Multo, longe, facile cum haud dubie significat, quam pro valde, quam pro quantum verbo possum iunctum, tam, quam dum se mutuo consequuntur, vt, tanto, quanto: vt tanto pessimus omnium Poetæ, quanto tu optimus omnium patronus: Quam maxime potest copias armat. Salustius ait. Quam quisq; pessime facit, tam maxime tutus est: Vt brevissime potui a me dicta sunt. *Quot modis adhæret adverbium verbis?* Duobus modis. 1. adhærent verbis omnium modorum: vt Susq;; deq; fero, susq; deq; ferto, susq deq; feras velim iurgia impiorū. 2. quædam adsciscunt sibi certos modos. *Quotuplicia adverbia adhærent certis modis?* Quintuplicia. 1. Quæ petunt indicativum solum: viz. dum pro quamdiu, donec: vt pro postquam. Terentius. Vt ventum est in vrbem. Ovidius. Donec eris felix. Terent. Dum ætas tulit. 2. quæ petunt Optativum solum, vt adverbia optandi: vt vtinam bene vertat Deus. 3. quæ petunt subiunctivum solum: viz. dum pro dummodo, quasi, ceu, tanquam acsi, haud secus: vt tanquam feceris ipse aliquid: Quasi non nc-nimus nos inter nos. 4. Quæ indicativo vel subiunctivo adhærent: vt antequam, priusquam, simul, simulac, simulatq;, quum, postquam, quam, næ, pro certe pronominibus iunctum: item adverbia similitudinis: vt priusquā pereo: Næ ego sum homo infelix: Vt sementem feceris, ita metes. 5. quæ adhærent imperativo vel subinnctivo: vt adverbia prohibendi: ne, nequaquam: vt ne timeto, vel ne timeas. *Quot modis adhærent Adverbia aliis Adverbiis?* Duobus modis. 1. Adverbia adhærent subaudito adverbio quam, viz. hæc duo comparandi: plus & amplius: vt plus quingentos colaphos infregit mihi: amplius sex sunt menses. 2. adhærent adverbiis expressis: vt satis parce, ac duriter vivit. *Aliter, secus, & contra quæ adverbia adsciscunt sibi a tergo?* Ac, atq; quam. Terent. Non secus, ac si meus esset frater. Idem. Neq; aliter contra, quam sentio loquor. *Perinde & proinde quæ Adverbia habent a tergo?* Atq;, vt, quasi, ac, acsi: Plautus. Perinde res omnes sunt, vt eas magnifacias. *Nedum quem locum habet in oratione?* Secundum. *Quibus rebus iungitur?* In oratione affirmativa iungitur rei minoris momenti: Vt effunderem pro te sanguinem, nedum pecuniam. In negativa iungitur maiori: vt non funderem pro te pecuniam, nedum sanguinem. *Non solum, non tantum & non modo quem*

ctum habent? Priorem. vt non solum pro te non moriar, sed nec pugnem. *INTERIECTIONVM officium quid est?* Exprimere motus animi, vt atat, ecce capti estis.

Coniunctionum formalis convenientia.

QVa Coniunctiones Indicativum modum postulant? Quanquam, etsi, in principio sententiæ. Cicero. Etsi vereor iudices. In medio sententiæ subiunctivum petunt. Item Indicativum petunt quando, quandoquidem, quatenus pro siquidem, quoniã. Item siquis vt siquis adest. Terent. Nũ cogitat quid dicat. *Quæ subiunctivũ sæpius habent?* Quamvis, licet, ne, quod pro vt, vtqui, vtpotequi, quippequi, quo pro vt causali. Cum pro quamvis vel quoniam: vt pro quamvis, Ne dubitantis. Vt servi vt taceant iumenta loquentur. Timet ne deseras se. *Quippe cui modo additur?* Indicativo cum proprium habet verbum. vt danda est illi venia quippe ægrotat. Si addideris qui, quæ, quod, fere Subiunctivo adhæret, vt non danda est illi venia quippe qui peieraverit antea. *Vt quando gaudet indicativo*? 1. cum capitur pro quam. Plaut. vt nunc male cum metuo miser. 2. pro postquam. Virgil. vt Regem vidit. 3. cum capitur pro quomodo, verbi gratia, vt vales. 4. Pro particula admirãtis. verbi gratia: vt vidi, vt perii. 5. pro sicut: vt dico vt sentio, quæ etiam Subiunctivo additur. *Vt quando gaudet Subiunctivo*? 1. cum capitur pro quamvis, vt, Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas. 2. pro in eum finem: Esse decet vt vivas, non vivere vt edas. 3. pro quod effectivæ potestatis. vt Non sum tam fœlix vt fundam ex tempore versus. 4. pro ne non. vt metuo vt substet hospes. *Vt pro ne non quibus verbis gaudet*? timeo, metuo, vereor. *Ne cui modo additur*? Ne pro ne non, & ne dubitantis adduntur subiunctivo, vt timet ne deseras se. *Quin pro qui non, cur non & sed, cui modo iungitur?* Subiunctivo, vt nulla res est tam facilis, quin difficilis sit, si invitus facias. *Quin pro cur non interrogantis cui modo additur*? Indicativo: vt quin accersis medicum. *Cum & tum geminatæ Coniunctiones cui modo adduntur*? Indicativo in vtroque loco. *Quomodo differunt?* Cum præcedit cum minore tum sequitur cum maiore: vt odit cum literas tum virtutem. *Autem quas voces sequitur*? Non & porro: vt porro autem, non autem. *Vero quas voces sequitur?* Nec, neque, tum, age, sane, iam, at, enim, quæso, nunc, & Pronomina quædam *Ergo & igitur quibus conclusionibus inserviunt*? brevioribus *quare & quamobrem quibus inserviunt*? Longioribus. *Cum quibus modis iungitur*? 1. pro quando modo Indicativo, modo subiũctivo iungitur, vt cum dico, cum dicerem, 2. pro dum, Subiunctivo.

Cicero. Cum me in Africam con tulissem. 3, Pro quamvis habet post se tamen & iungitur Subiunctivo. Cicero pro Deiot. Cum in omnibus causis gravioribus initio dicendi commoveri soleam, tamen in hac multa ita me perturbant. 4. Pro quoniam, causam denotans, Subiunctivum habet. Vt cum inveniam Latinos proprio sermone hæc parum attigisse conatus sum pro viribus. *Quum quibus modis iungitur*? His exemplis patet. 1. pro quando, Cicero de Iuven. Fuit quoddam tempus, quum in agris passim homines bestiarum more vagabantur. Idem in Somn. Quum in Africam venissem. 2. pro quoniam. Salust. in Ciceronem: Sed quum in te modestiam nullam animadverto respondebo tibi. 3. pro quamvis: Cicero li. 13: epist: Ego quum antea studiose commendabam Marcilium tuum tũ multo nunc studiosius 4 Pro quãdoquidem, subiunctivo. vt dictum est. *Coniunctio quotuplices dictiones copulat*? Duplices, casus & modos. *quot partium orationis casus copulat*? Trium 1. Nominum, vt dives & felix. 2. Pronominum, vt ego & tu scribimus 3. Participiorum vt & honorandi & amandi sunt principes *Quotuplices casus copulat*? Duplices: similes & dissimiles. *Quando copulat similes casus*? cum dictio regens similes exigit casus. vt ast ego qui divum incedo Regina, Iovisq; & soror & coniunx. *Quot modis connectit dissimiles casus*? Tribus modis, 1, Quando post adiectivum sequitur cum alio Adiectivo dictio partis aut proprietatis, Vt vir fortissimus & magnæ prudentiæ. 2: Cum Coniunctio ponitur inter pronomen possessivum & alium casum, vt Epistola tua & Ciceronis. 3. Cum dictio in eodem sensu diversos exigit casus: Vt interest mea & Petri. *Copulat-ne Coniunctio aliquando dissimiles modos?* Copulat sed aliarum dictionum ope: vt bene certasti, & vtinam ita semper bene certes: *Cuius ope hic copulatur Optativi verbum certes, cum indicativo certasti?* Ope Adverbii vtinam. Reliqua habentur in Coniunctione in libro 1. *Emphatica dictio quid est?* Est quæ aliis indit vim quam ipsa non significat. *Quæ dictiones sæpissime habent Emphasim?* Ego & tu, nos & vos, vel, etiam, adeo, ne, & quidem: vt Ego spem, pretio non emo, Etiam tu hic stas Parmeno, vel aperte odisse magis ingenuum est, quam fronte occultare sententiam.

CAP. 9. DE REGIMINE.

R*Egimen quibus aliis nominibus appellatur*? Rectio, constructio transitiva, & exigentia casuum. *Regimen quid est?* Est certi casus exigẽtia. *Quot partes orationis regũt casũ?* Septem, 1, Nomen, vt liber Petri. 2. Pro-

Pronomẽ, vt hoc noctis. 3. Verbum, vt amo Deum. 4. Participium, vt amans Deum. 5. Adverbium, vt satis vini, 6. Præpositio vt ad Patrem. 7. Interiectio, vt heu me miserum. *Cum dicimus: ergo illius, nonne hic Coniunctio regit casum?* Non, quia in hoc exemplo, ergo est nomen indeclinabile. *Quid significat ergo illius?* Id est illius causa.

NOMINIS REGIMEN.
CAP 10.

Substantiva regentia genitivum.

Q*Va est prima pars orationis regens casum?* Nomen. *Quot casus regit nomen?* quatuor. 1. Gentitivum, vt vncia auri. 2. Dativum, vt vtilis bello. 3. Accusativum vt longus brachia. 4. Ablativum vt dignus honore. *Quotuplicia regunt genitivum?* Duplicia: Substantiva & Adiectiva. *Substantiva quotuplicia regunt genitivum?* Viginti quadruplicia. 1. Dictio rei possessæ regit genitivum possessoris, vt liber Petri. 2 Pars regit suum totum, vt vngula equi, crista galli, pupilla oculi. 3. proprietas regit Substantivum, vt species mulieris 4. Contentum regitur a continente & contra, vt patera vini, vinum novi vasis. 5. Tempus regit casum eius quod in tempore fit & contra, vt hora cœnæ, puer septem annorum. 6. Nomen præfecturæ aut dignitatis regit genitivum rei, cui quis præsidet, vt Rex Francorum, Princeps Sacerdotis. 7. Dictio ministerii regit genitivum præsidentis, vt scriba Regis. 8: Dictio proximitatis regit genitivum, vt vicinus Petri. Pater Iohannis. 9. dictio contrarietatis regit genitivum, vt hostis Petri. 10. Verbale substantivum regit geniitvum, Vt cultor iustitiæ: 11. Dictio effectus vel operis regit genitivum rei efficientis, vt Epistola Ciceronis. 12. Dictio effectus regit genitivum finis, vt bellum triumphi. 13. Dictio effectus regit gen. causæ naturralis, vt calor ignis. 14. Dictio effectus regit genitivum causæ supernaturalis, vt virtus Dei. 15. Dictio effectus regit genitivum materiæ, vt acervus lapidum. 16. Relativum logicum regit genitivum correlativi: vt filius patris. 17. Quod alicuius esse solebat, illius genitivum adhuc regit, vt pes porci dicitur, dum a porco abscissus est: & vas vini, dicitur licet vinum exhaustum sit. 18, Dictio suum regit genitivum pluralem, per excellentiam vt Rex regum. 19. Mensuratum regit mensuram in genitivo, vt panis vndecim librarum. 20. Dictio regit pretium in genitivo. Vt vinum triboli. 21 Nomen signi vel imaginis regit genitivum rei cuius est imago, vt iris pluviæ, superscriptio Cæsaris. 22. Propria regunt genitivum per subauditionem, vt Æneas Anchisæ subauditur filius,

us. Hectoris Andromache viz. vxor. 23. Nomen officii regit genitivum rei cuius est, vt custos tẽpli. 24. Adiectiva substantivata regunt genitivum. *Quotuplicẽ genitivum regunt?* Duplicem: Regunt genitivum singularem, vt acuta belli. Aperta Oceani. *Resolve has orationes?* Id est acutæ partes belli. apertæ partes Oceani. 2 Genitivum pluralem: vt amara curarum, angusta viarum. *Resolve has orationes?* Id est, res amaræ curarum, angustæ partes viarum. *Resolve easdem orationes in substantiva & Adiectiva?* Id est amaræ curæ, angustæ viæ. *An omnes genitivi reguntur a nominibus rei possessiva?* Non. *Quo genitivi respuunt hoc regimen?* Genitivi mei, tui, sui nostri, & vestrum, nostrũ & vestrũ. *Genitivi mei, tui, sui, nostri & vestri quotuplices sunt.* Duplices. *Doce?* Genitivi passive, & possessive significantes. *Genitivi passionis a quibus nominativis veniunt?* A nominativis ego, tui, sui, nos & vos. *Genitivi possessionis a quibus nominativis veniunt?* A nominativis meus, tuus suus, noster, & vester. *Vtrum genitivi passionis, vel posidentis respuunt regimen rei possessa?* Genitivi passionis. *Casus rei possessa cum quibus pronominibus cõstruuntur horum genitivorũ loco?* Cum pronominibus possessivis. *Vtrũ sit illa Constructio regiminis vel convenientia?* Fit cõvenientia substantivi & adiectivi, vt liber meus, gladius tuus. *Reguntur ne genitivi passionis ab alijs nominibus si non regãtur a casibus rei possessa?* Quidni. *Cedo exemplum?* vt amor tui desideriũ mei. *Quomodo differunt amor tui & amor tuus?* amor tui est amor quo tu amaris ab alio amor tuus est amor quo tu amas alium. *Reguntur-ne quinque genitivi possessivi a nominibus rei possessa?* Per accidens reguntur. *Quomodo hoc fit?* Quia Adiectiva sunt, convenientia cum substantivis in genitivo: vt liber mei fratris, ianua domus vestræ &c.

CAP: 11.

Adjectivorum Regimen

QVotuplicia Adiectiva regunt genitivum? Duplicia 1: Quæ regunt genitivũ solum: 2 Quæ regunt genitivum cum aliis casibus. *Quotuplicia regunt genitivũ solũ?* Duplicia: 1: Adiectiva denotantia versantem circa rem aliquã regũt genitivũ rei circa quam versatur: vt cupidus auri. 2. Adiectiva partitive posita regunt genitivum: vt aliquis vestrum: *Quotuplicia Adiectiva denotantia versantem circa rem aliquam regunt genitivum rei vel obiecti circa quam versatur?* Duplicia: 1: Verbalia: vt amans vini: 2: non verbalia: vt literarum rudis: *Verbalia Adiectiva quotuplicia sunt?* Duplicia: activæ & passivæ significatiõis. *Verbalia passiva significationis quem casum præcipue regunt?* Dativum: vt multis te

bilis, Formidandus omnibus. *Verbalia activa significationis quę casum regunt*? Genitivũ: *Quotuplicia sunt talia*? Vndecuplicia, 1: in ns & in ens vt amans vini: patiens inediæ: *Quomodo differunt amans vini & amans vinum?* Amans vinum est qui nunc amat vinum, amans vini est qui ex consuetudine amat vinum. *Regit-ne potens alium casum quam genitivum*? Regit ablativum cum significat abundans. vt terra antiqua potens armis atque vbere gleba. 2. in tus, & sus, e præteritis participiorũ. vt indoctus pilæ. Salustius: Alieni appetens, sui profusus. 3. in ivus vt herba expulsiva veneni. 4, in idus: Ovid. Cupidus studiorum quisq; suorum. Tacitus: Animi validus. 5. in ax Ovid. Tempus edax rerũ, tuque invidiosa vetustas Omnia destruitis. 6. in osus, vt ambitiosus dignitatis, studiosus Philosophiæ. 7. In ius Virgil. Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ. 8, in ilis Ovid, Pravi docilis, Romana iuventus. 9. in rus, Virgilius. Securus amorum. 10. in gus, Largus opum, lingua melior, sed frigida bello. 11. Verbalia in or, Vt memor beneficiorum Dei. *Nomina Adiectiva non verbalia quotuplicia regunt genitivum obiecti?* Duplicia. 1. Quæ negationem implicant. Vt literarum rudis. 2. Quæ affirmationem implicant. Vt voti compos, pecuniæ liberalis.

De Partitivis.

Q*votuplices dictiones Partitive ponuntur?* Triplices: 1. Nomina, vt aliquis vestrũ. 2. Pronomina, vt hoc noctis. 3. Adverbia, vt omnium dulcissime canit. *Quotuplicia nomina regunt genitivum per regimen Partitionis?* Triplicia. 1. Nomina quæ signa appellantur vt quisque hominum. 2. Nomina Comparata, vt doctior fratrum 3. Nomina numeri, vt tres dentium exciderunt. *Quot modis declaratur genitivus huius regiminis?* Duobus modis. 1. Per accusativũ vel ablativũ cum præpositionibus inter, de, e, ex vel in: vt vnus istorũ i vnus inter istos, vel de, vel ex, vel in istis. 2. Per Adiectivum & substantivũ, vt aliquis puerorum, Id est aliqui puer. *Partitivum quid est?* Est quod partem multitudinis significat vel multa sigillatim indicat *Signum quid est*. Est dictio per se nullius rei significativa, quæ alteri adiuncta significationem eius dirigit *Quotuplex est*? Duplex. Vniversal & Particulare. *Signum vniversal quid est*? Quod singulis quicquam dat vel aufert. *Quotuplex est*? Duplex. 1. Affirmativum, vt quisqu virorum. 2. Negativum, vt nullu hominum est immortalis, *Signum particulare quid est*? Quod alicu quicquam dat vel aufert vt aliqui vestrum. *In quot accidentibus conveniunt nomina Partitiva cum genitivis?* In vno, in genere, vt hu la sororum. *Quot modis reperitu Partitivum discrepare cum genitivo in genere*? Tribus modis. 1. nominibus collectivis, vt optim plebis, 2. In Heteroclitis, vt infin

cœlorum Lunam continet. 3. vbi adiectivum præcedens respicit. Horat. Quid agis dulcissime rerum. *Gradus comparationis quotuplex regit genitivum?* Triplex: 1. Positivus. Vt Lanarum nigræ nullum colorem bibunt. 2. Comparativus. Vt fortior manuũ est dextra 3. Superlativus. vt doctissimus poetarũ. Optimus plebis. *Quando regunt comparativus & Superlativus genitivum?* Cum comparatio fit inter res eiusdẽ generis & naturæ? *Quando regit Comparativus genitivum?* Cum Comparatio fit inter res duas: vt fortior manuum. *Quando regit Superlativus genitivum?* Cum comparatio fit inter plures. Vt pollex est fortissimus digitorum. *Quis gradus aliquando non regit casum eiusdem generis?* Comparativus. *Cum comparatio non sit inter res eiusdem generis quem casum habet comparativus?* Ablativum. *Quomodo exponitur ille ablativus?* Per Adverbium comparandi quam. Horatius. Vilius argentum est auro, virtutibus aurum. *Expone hoc exemplum?* Id est, argentum est vilius quam aurum, aurum est vilius quam virtutes. *Regunt-ne Comparativus & superlativus alios casus præter genitivum partitionis?* Regunt etiã casus sui positivi. *Quot casus sui positivi regunt?* Quatuor 1 Genitivum vt plenior rimarum, plenissimus rimarum. 2. Dativum, vt gratior Regi gratissimus regi. 3. Accusativum vt vir longior brachia, Vir longissimus brachia. 4. Ablativum vt dignior honore, dignissimus honore. Reliqua de comparatione habẽtur libro 1. In nomine. *Numerus quotuplex regit genitiuũ?* Duplex 1. Cardinalis: vt centum virorum. 2. Ordinalis, vt Octavus sapientum. *Quotuplicia nomina significãtia numerũ indefinitũ regunt genitivum?* Duplicia. 1. Nomina cardinalis numeri. Terent. Quot hominum illic litigant. 2. Nomina Ordinalis numeri, Vt Decius quotus est imperatorum. De Adverbiis vide Cap. vigesimum octavum. *Quotuplicia Adiectiva regunt genitivum cum aliis casibus?* Duplicia. 1. Quæ regunt genitivum & dativum: vt affinis senectutis vel senectuti 2. Quæ regunt genitivum & Ablativum: vt plenus rimarum vel rimis. *Quæ Adiectiva regunt genitivum vel dativum?* Affinis, similis, communis, par, proprius, propinquus, finitimus, fidus, conterminus, superstes, conscius, socius, conformis vicinus, amicus, alienus *Quo casu frequentius vtuntur hæc nomina?* Dativo. *Quomodo differunt similis patris, & similis patri?* Similis patris sæpius dicitur de moribus. Similis patri de figura. *Cedo alia exempla huius regiminis?* Par tui, vel tibi. Conformis imaginis, vel imagini. Alienus consilii vel consilio. &c. De Adiectivis reliquorum casuũ vide capita sequentia.

CAP. 12.
Nomina quæ regunt Dativum.

Quotuplicia adiectiva regunt dativum? Vndecuplicia. 1. Quæ regunt genitivum cum dativo De his nuper dictũ. vt similis patris vel patri. 2 adiectiva commodi vt vtilis bello. 3 Adiectiva incommodi, vt perniciosus reipublicæ. 4. Adiectiva dissimilitudinis, vt dissimilis Hectori. 5. Adiectiva proximitatis. Vt Proximus ille Deo qui scit ratione tacere. 6. Adiectiva adversitatis vt remotissimus Vrbi. 7 adiectiva quæ voluptatem significãt, vt Gratus Deo 8. adiectiva quæ significant dolorẽ Vt molestus amicis. 9. Verbalia in bilis. Vt hic tibi sit potius quam tu mirabilis illi, 10. verbalia in dus Ovid. Sæpe tibi pater est, sæpe legendus avus. *Quomodo significant hæc Verbalia?* Passive significant. 11. Adiectiva regunt dativum significantem personam, aut rem cui aliquid fit. Huc referri possunt omnia reliqua adiectiva quibus non datur certior regula.

CAP. 13.
Adjectiva regentia accusativum.

Quot modis regunt nomina accusativum? Duobus modis: figurate & sine figura. *Per quam figuram regunt nomina accusativum?* Per Synecdochen. *Regunt-ne nomina per hanc figuram alium casum?* Regunt etiam ablativum. *Cedo exemplum vbi regunt accusativum vel ablativum per hanc figuram?* vt sum albus veste vel veste. *Quomodo hic accusativus vel ablativus exponitur?* Per Præpositionẽ secundum Vt Æthiops albus dentes vel dentibus, id est secundum dentes. *Synecdoche quid est?* Est quando adiectivum vel verbum convenient cum toto regit partem totius in accusativo vel ablativo: Vt puer bonus indolem vel indole. *Per quot partes orationis fit Synecdoche?* Per quatuor 1. Per nomina, vt puer bonus indolẽ vel indole. 2. Per Pronomina: vt tu cano capite amas. 3. per verba, *Per quotuplicia verba?* Per duplicia 1 Per verba neutra vt Petrus rubet faciem vel facie. 2. Per passiva, vt Petrus truncatur manus vel manibus. 4. Per Participia, vt Petrus rubens faciem vel facie. *Da huius figuræ exemplum ex Iuvenali?* Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus. Rem magnam præstas Zoile, si bonus es. *Synecdoche quotuplex est?* Duplex directa & indirecta. *Synecdoche directa quid est?* Est in qua vera partis dictio in accusativo vel ablativo regitur: vt nuda pedem vel pede. *Indirecta quid est?* Est in qua non vera pars sed pro parte accidens quippiam reperitur vt Perfusus sanie vittas. *In Synecdoche quæ sunt necessaria?* Tria: totum, p

proprietas. *Proprietas quid est in hoc loco* est verbum vel adiectivum. *Ostende hæc tria in hoc exemplo, Petrus rubet faciem?* Petrus totum, faciem partē, rubet proprietatem notant. *Ostende hæc tria in hoc exemplo Vir vulneratus caput?* vir totum vulneratus proprietatem, caput partem notant. *Quæ adiectiva regunt accusativum sine figura?* Adiectiva magnitudinis. *Regunt-ne alium casum?* Etiam. *quem casum?* Ablativum *Quotuplicia Adiectiva magnitudinis regunt accusativum vel ablativū?* Quintuplicia. 1. Adiectiva significantia altitudinem, vt turris alta trecentos pedes. 2, Quæ significant latitudinem, vt folium latum tres palmis. 3. Longitudinem vt hasta longa tres vlnas vel tribus vlnis 4. Quæ significant profunditatem, vt fons profundus decem pedes vel pedibus 5. Quæ significāt crassitiem, vt liber crassus tres digitos vel tribus digitis.

Cap. 14.

Adjectiva regentia ablativum.

Quotuplicia nomina regunt ablativum? Octuplicia. 1. Adiectiva magnitudinis vt turris alta trecentis pedibus. De his vide regimen accusativi. Adiectiva copiæ & inopiæ. *Quot partes orationis significant copiam & inopiam?* Quatuor 1. Nomen, vt plenus rimarum vel rimis: Vacuus curarum vel curis. 2. Verbum: vt abundo lactis vel lacte. Egeo pecuniæ vel pecunia. 3. Participiū, vt abundans lactis vel lacte. Egens pecuniæ vel pecunia 4. Adverbium vt potētiæ gloriæq; abunde est. Parum vini. *An Adverbia copiæ & inopiæ regunt etiam ablativum?* Vix invenitur hæc rectio apud Authores. *Da authoritatem vbi Adiectiva copiæ regunt genitivum?* Virgilius ait: Despectus tibi sum, nec quis sum quæris Alexi. Quam dives pecoris nivei quam lactis abundans. *Da authoritatem vbi Adiectiva inopiæ regunt genitivum?* Ovidius ait: Quis matrem nisi mentis inops in funere nati Flere vetat. *Da authoritatem vbi Adiectivum copiæ regit ablativum?* Horat: Dives agris, dives positis in fœnore nummis. *Da authoritatem vbi Adiectivum inopiæ regit ablativum?* Cicero ait, Verbis inops. *Quæ verba inopiæ æqualiter regunt genitivum vel ablativum?* Egeo, indigeo. *Reliqua verba copiæ & inopiæ cui casui magis adhærent?* Ablativo. *Quem casum sæpius regunt dives, sterilis, vanus expers, & inanis?* Genitivū. Plautinus Sosia, Ipse dives operis & laboris expers. *Quæ Adiectiva copiæ & inopiæ sæpius ablativum regunt?* Truncus, oneratus, orbatus, orbus, viduus, vacuus. *Da adiectivum inopiæ quod ablativum semper regit?* Captus. *An captus semper significat inopiam?* Non semper. *Cedo exempla vbi significat inopiam?* vt captus oculis, auribus,

pedi-

[p]edibus, mente, membris. *Quid [s]ignificat captus in his exemplis?* [I]d est carens horum vsu. *Cum di[c]imus captus avaritia vel amore [q]uid significat captus?* Id est de[vi]ctus. *Quid significat captus amœ[n]itate loci?* Id est delectatus amœ[n]itate loci. *Quæ verba similiter [c]onstruuntur sicut verba copiæ & [i]nopiæ?* Crucio, pendeo, lætor, an[g]o, desipio, abstineo, potior, alo, [i]ndoleo, recreo, vt crucior animi [v]el animo. *Tertio: Quæ Adiectiva [r]egunt ablativum?* Adiectiva pro[p]rietatis quæ etiam genitivum re[g]unt. Vt felix animi vel animo, sa[n]us mentis vel mente. 4. Adiectiva proprietatis quæ etiam accusativũ reguntvt albus dentes vel dentibus, De his vide cap. 13, 5. Hæc Ad[i]ectiva dignus, indignus, præditus, contentus, oriundus, imbutus & similia. vt dignus honore, præditus virtute, contentus parvo, oriundus Athenis. 6. Adiectiva, regunt ablativum causæ efficientis, vt pallidus metu, *Quot partes orationis regũt ablativũ causæ efficientis?* Tres: 1. Nomina, vt Rex dono Christi, gravis ære. 2. verba, vt taceo pudore. 3. Participia, vt tacens pudore. *Regunt-ne adverbia quædam qualitatis ablativum causa?* Regunt mediante præpositione: vt celeriter currit præ metu. *Per quas præpositiones resolvitur ablativus causæ?* Per præpositiones per, præ & propter, vt taceo pudore, id est taceo per vel propter pudorem vel præ pudore. 7. Comparativus gradus regit ablativum. *Quomodo exponitur ille ablativus?* Per adverbium quam, Vt Scipio est fortior Hannibale. Id est quam Hannibal. De his vide Cap. 11. 8. quæ regunt ablativũ materiæ circa quam proprietas versatur, vt lacte distentus.

CAP. 15.

Pronominum Regimen.

QVot casus regunt Pronomina? Tres. Genitivum dativum & ablativum. *Quotuplicia Pronomina regunt genitivum?* Duplicia: 1: substantivata in neutro genere. Vt hoc noctis, illud mali, id temporis. 2. hæc possessiva meus, tuus, suus, noster & vester regunt genitivum. *Quotuplicem genitivum regunt?* Quintuplicem. 1. regunt genitivum numerorum cardinalium. Vt noster duorum eventus ostendit, vtra gens sit bello melior. 2. Vniversalium & particularium. Cicero ait: Voluntati vestræ omnium parui. Idem. Qui vestris paucorum laudibus respondent. 3. Adiectivorum vnius, ipsius, solius, Cicero. Solius enim meum peccatũ corrigi non potest: Ex tuo ipsius animo coniecturam feceris. 4. Participiorum. Ovid. Sæpe rogabis vt mea defunctæ molliter ossa cubent. Nostros vidisti flentis ocellos. 5. Substantivorum Tuum hominis simplicis pectus vidimus. *Qualem dativum regunt Pronomina?* Regunt dativũ significātē rem aut personā cui aliquid fit. Vt occidentalibus Indis sol oritur idem qui orientalibus. Deus in

æternum manet idem Gentibus qui Iudæis. *Pronomina quomodo regunt ablativum?* Per Synecdochen. vt tu cano capite amas, senex nequissime. CAP. 16

Verbi Regimen.

Q*Vot casus regunt verba?* Quinque 1. Nominativum, Deus est omnipotens. 2. Genitivum, vt Christus miseretur peccatoris. 3. Dativum vt supplicibus parcit mundi iudex. 4. Accusativum, vt soli humiles Deum amant. 5. Vocativum: vt o iuste Iudex. 6. ablativum, vt non eget aliorum ope Dei filius ad electos servandos: *Cedo verbum habens omnes casus ante & post se?* Verbum esse: *Quot modis copulat esse similes casus?* Duobus modis explicite & implicite: *Quot casus copulat explicite?* Sex, 1: nominativum: vt petrus cupit esse doctus. 2, Genitivum, vt mesereor Iohannis cupientis esse docti. 3: Dativum Vt nobis non licet esse tam disertis: 4: Accusativum vt apparet hunc esse servum Domini pauperis: 5. Vocativum: vt O petre cupiens esse docte. 6. Ablativum vt vtor familiariter Petro cupiente esse docto *Cedo exemplũ vbi esse habet vtrinque nominativum pro accusativo?* Ovid: sed enim quia rettulit Aiax, Esse Iovis pronepos, *Quot casus copulat esse implicite?* Duos: 1: Nominativum, Terent. Hei mihi disce esse pater a b his qui vere sciunt. hic subauditur nom. tu: 2: Accusativum vt tibi placet evasisse divitem. subaudi te.

Cap, 17:

Verba regentia nominativum.

Q*Votuplicia verba regunt nominativum post se?* Quadruplicia: Verbum substantivum: Verba habentia vim substantivi, verba vocativa & eorum vim habentia: *Verba substantiva quot sunt?* Vnum: viz sum *Quid est verbum substantivum* Quod substat aliis verbis in resolvendo & coniugando. *Quotuplicibus verbis substat in coniugando* Octoplicibus 1: Verbis, activi generis in futuro infinitivi vt amaturus vel amaturum esse. 2: passivi in perfecto indicativi vt amatus sum vel fui 3. Verbis nevtro-activis in futuro Infinitivi, vt staturus vel staturum esse. 4: Verbis neutris passivam formam præteriti habentibus vt fio factus sum vel fui. 5 Verbis deponentibus vt loquor, loquutus sum vel fui 6: Verbis communibus, vt hortor hortatus sum vel fui: 7. Impersonalibus in t desinentibus, Vt pertædet, pertæsum est vel fuit. 8. Impersonalibus in tur, vt curritur cursum est vel fuit. *Quotuplicibus substat in resolvendo?* Octoplicibus. 1, Verbis activi generis: vt lego, id est sum legens. 2, verbis passivi generis, vt scriberis in fut, Indicativi, i: scriptus eris 3: Verbis neutris activæ significationis vt sedeo i: sum sedens. 4: neutris pas-

assivæ significationis, vt tu fies doctus i. factus eris doctus 5, Deponentibus vt obliviscor iniuriarum, sum oblitus iniuriarum: 6: Communibus, vt Deus afflictos consolabitur, i. consolatus erit afflictos, Impersonalibus in t vt doctos do t esse religiosos, i. decens vel decorum est doctos esse religiosos. 8. Impersonalibus in tur, vt curretur a me, id est cursum erat me: *Da exemplum vbi sum regit post se nominativum?* Vt Leo est quadrupes, *Secundo qua verba regunt post se nominativum?* Quæ habēt vim verbi substātivi, *Quotuplicia habent vim substantivi?* Quintuplicia, 1, Quorum significatio proxime accedit ad significationem substantivi: *Qua sunt talia?* forem, fio, existo, exsto, & his similia, Vt annona dicitur fore cara. paulus fit Apostolus: herbæ extant virides: hyems existit gravis, 2: Verba passiva quorum activa regunt duos accusativos. huc quoque pertinet fio, Salust. Virtus clara, æternaque habetur, Ovid. Quæritur Ægystus quare sit factus adulter: Crœsus estimatur dives. 3: Multa neutra, præcipue quæ ad gestum corporis pertinent, cum verbo vivo. *Quid subauditur his verbis?* participium existens. Ovid: Victa iacet pietas: i: pietas iacet existens victa: Vivo inops, evado doctus: 4: plurima Activa, subaudito, participio existens, vt audivi hoc puer, Invitus feci, 5. Depo-nentia vbi vox existens subauditur

vt Nudus egressus sum de vtero matris. *Da exemplum vbi horum Participia habent etiam vocativum post se?* Proper. Lectule divitiis facte beate meis. *Participia verborum Substantivorum vocativorum & eorum vim habētium, si ponantur inter duo substātiva, cum quo substantivo concordabunt?* Cum priore: vt Petrus factus est mancipiū. *quid si vtriq; postponatur participium?* Conforme erit vtrilibet. *Cedo exemplū vbi concordat cum priore substantivo?* Livius 6. Decad. 4. ait. Ludos Megalesia appellatos. *Cedo exemplum vbi participium concordat cum posteriore?* Livius. lib. 9. Decad. 3. ait Ludi fuerunt Megalesia appellata. *Vocativum verbum quid est?* Est per quod rei nomen vel proprium, vel commune determinatur. vt vocor Ioannes. *Quot sunt verba vocativa?* Quinq;: Nominor, nuncupor, dicor, vocor, appellor: vt Cicero vocatur eloquens. *Quomodo construuntur horum activa?* Cum duobus accusativis ad eandem rem pertinentibus: vt timidus vocat se cautum: Parcum se vocat sordidus. *Qua verba vocativorum vim habent?* Cognominor, agnominor, inscribor, salutor, baptizor, arguer, &c. *Cedo exempla?* vt Cognominor Scipio, Agnominor Africanus. Horat. in arte Poetica ait: Descriptas servare vices operumque labores: Cur ego si nequeo ignoroq; Poeta salutor. *Quot modis exprimere potes quis*

vel

Vel qui vocaris? Septem modis. 1. Verbum vocativum habet vtrinq; nominativum: vt ego vocor *P*etrus: 2: Verbum habet ante se nominativum, & generalis, & proprii nominis cum dativo per*sonæ* post se vt nomen *P*etrus est mihi. 3. nominativus generalis nominis regens genitivum proprii nominis ponitur ante verbum: dativus perso*næ* post verbum: vt nomen *P*etri est mihi: 4: Nominativus generali*s* nominis ponitur ante verbum: duo dativi casus post verbum: vt est mihi nomen *P*etro. 5: Verbum habet post se accusativum generalis nominis & proprium nomen materialiter sumptum: vt habeo nomen *P*etrus: 6. Verbum habet post se accusativum generalis nominis cum genitivo proprii nominis: vt habeo nomen *P*etri: 7: Verbum habet post se accusativum & generalis & proprii nominis: vt habeo nomen *P*etrum. *Si substantivũ verbum ponatur post duos rectos, cum quo recto concordabit?* Cum posteriore: vt Ovid. Omnia pontus erat: Idem: Domus antra fuerunt. *Cedo exemplum vbi hæc elegantia non servatur? V*t captivi militum præda fuerunt: *S*anguis erant Lachrymæ.

Cap. 18.

Verba genitivum regentia.

QVotuplicia verba regunt genitivum? Sextuplicia. Primo. Quæ regunt genitivum solum vt satago: & verba monendi: *Cedo exempla?* Terent. Is quoque rerum suarum satagit: Commonefacio te debiti. 2. Quæ regunt genitivum vel dativum. *Quæ verba regunt hos casus?* Misereor, Dominor, auxilior vt Deus miseretur omnium. Virg. miserescite Regis. *Quem horum casuum sæpius regit misereor?* Genitivum: vt Nil nostri miserere mori me denique cogis. *Quem sæpius regunt dominor & auxilior?* Dativum: vt Grandia sæpe quibus mandavimus hordea sulcis, Infælix lolium & steriles dominantur avenæ. *Misereor & miseror quomodo differunt in sensu suo?* Misereor passivum affectum habet: Est enim corde anxium esse ex alicuius miseria. Miseror activum habet, Estq; verbis, lacrhymis aut ope ostendere, quem ex aliorum miseria concepimus dolorem. *Quomodo differunt constructione?* Misereor genitivum, miseror accusativum regit. vt opis miseratur egenos. 3. Quæ regunt genitivum vel accusativum sub eodem sensu. *Quotuplicia sunt?* Triplicia. 1. fastidio: Nunc dicimus, fastidio labores, olim fastidio laborum. Lucil. Tristes, difficiles sumus, fastidimus honorum. 2: Verba obliviscendi & recordandi. Cicero. Proprium est stultitiæ aliorum cernere vitia, oblivisci suorum. Plaut. Faciam vt huius diei, locique, meiq; semper memineris: Virg. Quisquis es, amissos hinc iam obliviscere

Graios

Graios 3. Hæc impersonalia: pænitet, tædet, miseret, pudet, & piget. *Quales regunt casus*? Regunt accusativum rei patientis, cum genitivo rei agentis: vt Christum miseret peccatoris. Plautus ait: Aliorum te miseret, tui te nec miseret nec pudet. *Quomodo aliter construuntur hæc verba loco genitivi casus*? Cum infinitivo modo: vt pænitet me peccasse. 4. *Quæ regunt genitivum?* Quæ in eodem sensu regunt genitivum vel ablativū. *Quotuplicia sunt*? Decuplicia 1. Verba copiæ & inopiæ. *Quales sunt horum casus?* Sunt casus rei abundantis vel deficientis. vt potior regni vel regno-auro vi potitur. Egeo æris vel ære. De his vide cap. 4. 2. Verba Crucio, pendeo, lætor, angor, indoleo, recreo, desipio, abstineo, potior, & alo; vt crucior animi vel animo. De his vide cap. 4. 3 Verba accusandi, vt accuso te furti vel furto. Ovid. ait, Vtinam temeraria dicar, Criminibus falsis insimulasse virū. 4. Excusādi verba *Hæc cum verbis accusādi qualē regūt casū?* Regūt casū criminis aut pœnæ: vt Expurgo me parricidii vel parricidio. *Dic sensum huius clausulæ: causatur morbos?* id est in excusationem adducit morbos. 5. *Damnandi. Da exemplum vbi regunt genitivum vel ablativum Criminis?* Vt, Qui sustulit rem sacram de profano, furtine tenetur an sacrilegii an vtroque. *Cedo exemplum vbi regunt casus pœnæ?* Horat. Damnatus longi Sisyphus laboris. Cicero Capite damnatos morte mulctavit. 6. Absolvendi: vt absolvo te parricidii vel parricidio. 7: Verba laudandi: vt commendo te pietatis, aut pietate. Virgil. Vir Troiane quibus cœlo te laudibus æquem, Iustitiane prius mirer belline laborum. 8: Vituperandi: vt increpo te negligentiæ, vel de negligentia, cum præpositione. *Ponitur-ne crimen in alio casu quādoque quam in genitivo vel ablativo?* Ponitur etiam in accusativo. Cicero: Inertiam accusas adolescentium. 9: Verba vendendi & emendi cum verbo valeo. *Quales regunt casus*? Regunt casus pretii aut valoris *Quotuplices genitivos regunt ?* Duplices. 1. genitivos quatuor simpliciū nominum, viz. tanti, quanti, pluris, & minoris, 2. regunt horum nominum composita in genitivo. viz. tantilibet, tantidem, quantivis. *Quando regunt hæc verba hos genitivos?* Cum ponuntur sine substantivis: vt Tanti res valet, quanti vendi potest. *Nonne quandoque exprimitur vocabulum pretii cum hisce genitivis?* Aliquando exprimitur. *Cedo exempla*? Plaut. Mortuus pluris pretii est quam ego. Terent. Meus herus operam deputat parvi pretii. *Regunt-ne verba hæc eadem prædicta nomina in ablativo* ? Maxime. *Quando?* Cum additur substantivum: vt quanto pretio pransus es. *Cedo exempla vbi regunt ablativos aliorum nominum?* Vt Emi abs te equum decem aureis. De

nosthenes docuit talento. *Cedo exemplum ubi valeo etiam accusativum regit?* Varro: denarii dicti, quod denos æris valebant: quinarii quod quinos. *Vtrum hæc vocabula: vilius, melius, peius & carius sunt nomina vel adverbia, dum construuntur cum verbis?* Aliquando reperiuntur esse nomina aliquando adverbia. *Quot modis reperiuntur esse nomina?* Duobus modis 1. Cum construuntur cum substantivis in genere, numero & casu: vt Ego melius emi atramentum, tu carius. 2. Cum substantivantur in neutro genere: vt melius semel mori quam tot periculis obiici. *Quando reperiuntur esse adverbia?* Cum neque substātivantur, neque cum substantivis cohærent: vt carius emuntur carnes quam pisces. 10. Verba æstimandi. *Quomodo differunt verba æstimandi a verbis vendendi & emendi?* Verba vendendi & emendi pertinent solum ad contractus & mercimonia. Verbis æstimandi etiam vtimur vbi nulli sunt contractus: vt parvi ducitur probitas. *Quomodo conveniunt hæc verba?* Vtraque regunt casum valoris vel pretii. *Quos genitivos regunt verba æstimandi?* Plurimi æqui, parvi, nihili, nauci, flocci, boni magni, infiniti, maioris, maximi, assis, minimi, multi, tanti, quanti, pluris, minoris, & pili. *Cedo exemplum regiminis?* Vt pluris æstimatur probitas quam pecunia. Pili te non facio. *Cedo exempla vbi regunt ablativum?* Cicero. Gloriosa sapientia non magno æstimanda est. *Consulo quot modis construitur?* Tribus modis. 1. cum genitivo. *Quid significat cum genitivo?* Id est accipere in partem aliquam: vt boni consulo i. in bonam partem accipio. 2. cum dativo. *Quid significat cum dativo?* id est do consilium vel provideo, vt male cōsuluisti famæ. 3. cum accusativo. *Quid hic significat?* Petere consilium, vt sapientiores consulito. *Consulo quando censetur esse verbum æstimandi?* Cum regit genitivum. *Quinto quæ verba regunt genitivum?* Impersonalia quæ in eodem sensu regunt diversos casus. *Quot sunt?* Tria. Est, interest, & refert. *An regunt omnem genitivum?* Non. *Quot genitivos non regunt?* Septem. mei, tui, sui nostrum, nostri, vestrum, & vestri. *Quando non regunt hos genitivos?* Cum capiuntur passive & flectuntur a nominativis; ego, tu, sui, nos & vos. *Regunt-ne hæc verba aliquando hos genitivos: mei tui, sui, nostri, & vestri?* Etiam. *Quando?* Cum capiuntur possessive, & flectuntur a nominativis meus, tuus, suus, noster, & vester. *Cedo exemplum?* Vt non est nostri ordinis iura violare *Quem casum regunt hæc verba septē genitivorum loco?* Distinguo *Quomodo* Si loqueris de est, vel de interest, & refert. *Quem casum regit (est) horum genitivorum loco?* Regit hos nominativos neutri generis

meum, tuum, suum, nostrum, & vestrum. *Cedo Exempla?* Vt Non est meum contra Patris authoritatem dicere. Nostrum est parere Deo. *Quem casum regunt interest & refert horum loco?* Regunt ablativos fœminini generis mea, tua, sua, nostra & vestra, vt, mea nihil refert, tua quid interest. *Interest quotuplex est?* Duplex, Personale & impersonale. *Interest personale vnde componitur?* A præpositione inter & a verbo est. *Vnde componitur interest impersonale?* Ab in & ablativo re & verbo est. *Quomodo resolvitur casus ab hoc verbo rectus?* Per præpositionem in & ablativum re. *Cedo exempla?* vt discipuli interest magistrũ imitari. id est. In re discipuli est magistrum imitari. Tua quid interest, principis absentia. *Interest personale quot modis capitur?* Quatuor modis. 1. pro præsens est. Vt intersum lectioni, Interest concioni. 2. Pro in medio esse. Livius in 2. bel. punico: Id morari victoriam rati, quod interesset amnis. 3. pro differre. vt inter doctum & indoctum multum interest. 4. pro distat, Vt hinc ad forum intersunt viginti passus. *Refert quotuplex est?* Duplex personale & impersonale. *Refert personale vnde componitur?* A præpositione re & verbo fero. *Refert impersonale vnde componitur?* Ab ablativo re & verbo fero *Refert Impersonale quomodo resolvitur?* Per ablativũ re. *Cedo exempla?* Vt tua quid refert id est quid in re tua est. Subditorum refert quid rerum gerun Domini. *Refert personale quot modis capitur?* Quatuor modis. 1 pro retraho. Virg. Pedemque refert quasi tactus ab angui. 2. pro narro: vt refer nobis aliquid novi. 3. pro reporto: vt refer arma domum. 4. pro reddo. vt referam tibi gratiam. *Est quotuplex est?* Duplex, personale & impersonale. *Est personale quotuplex est?* Duplex ab edo & a sum. *Est impersonale quid habet sub intellectum, dum casum regit.* Officium vel munus. *Cedo exempla?* Vt mentiri non est meum: Regum est tuere leges. *Cur dicuntur hæc verba impersonalia, cum sæpe habeant nominativum expressum vel subauditum, vel aliquid pro nominativo?* Quia tantum leguntur in tertia persona. *Cedo exemplum vbi habent ante se nominativum expressum?* Vt tua nihil refert: Hic nihil est nominativus ante refert. *Cedo exemplum vbi aliquid ponitur pro nominativo?* Haud vestrum est iracundos esse: hic iracundos esse loco nominativi ponitur ante est. *Quid significãt genitivi casus post hæc verba?* Significãt pertinere ad vtilitatem vel officium alicuius *Regũtne interest & refert aliquando genitivum non significantem rem cuius interest?* Etiam. *Qualem genitivum?* Genitivum valoris vel æstimationis: Cicero: Permagni interest quo tempore hæc epistola tibi reddita sit. *Quæ adverbia habent*

bent aliquando loco genitivorum æstimationis? Adverbia quantitatis: vt parum mea refert. *Sexto quæ verba regunt genitivum?* Quæ notant quietem in loco: vt vixit Romæ. De his vide cap. 28.

CAP. 19.
Verba dativum regentia.

Q*Valis dativus regitur ab omnibus verbis?* Dativus personæ aut rei cui aliquid fit. *Quotuplicia verba regunt dativum* ? Quintuplicia 1. Sum. *Quot modis regit sum dativum?* Duobus modis. *Doce?* Vel regit simplicem dativum vel geminum. *Quando regit simplicem dativum?* Cum exponitur per verbum habet. vt est mihi liber. id est, habeo librum. *Quando regit sum duos dativos?* Cum exponitur per verbum adfero. Vt est mihi voluptati, id est adfert mihi voluptatem. *Da authoritatem vbi sum regit simplicem dativum?* Est mihi namque domi Pater. & iniusta Noverca. Virgil. *Da authoritatem vbi regit geminum dativum?* Tacitus. Orta seditio prope vrbi excidio fuit. 2. Verba regunt dativum qui exponitur per accusativum vel ablativū cum Præpositione. *Quot modis ponitur dativus pro accusativo cum Præpositione?* Duobus modis *Primo?* pro accusativo locali. Virgil. It clamor cœlo, id est ad cœlum. *Secundo?* pro accusativo non locali: vt verto tibi vitio. *Quotuplicia verba regunt geminu dativum?* Duplicia, *Primo?* Verbum substantivum vt dictum est. *Cedo exemplum?* Vt non est tibi honori. *Secundo?* Verba quædam non substantiva vt dedit mihi hanc vestem pignori. *Quot modis ponitur dativus pro ablativo cum præpositione?* Duobus modis. *Primo?* Pro ablativo verbi passivi, aut impersonalis passivæ vocis. *Da exemplum vbi ponitur dativus pro ablativo passivi verbi?* Virgil. Neq cernitur vlli, i. ab vllo. *Da exempli vbi ponitur pro ablativo impersonalis verbi?* Vt clamatur omnibu i. ab omnibus. *Secundo?* Dativu ponitur pro ablativo cum Præpositione in vel cum. Virgil. Montibu in nostris solus tibi certet Amynta certet. tibi i. tecum. Idem. Im par congressus Achilli. i. cum A chille, vel contra, vel in Achille *Tertio, quæ verba regunt dativ* Verba acquisitive posita, *Quid e verbum acquisitive positum?* E quod acquiri vel adimi denota *Qualem dativum regunt hæc ve ba?* Regunt dativum personæ a rei cui aliquid acquiritur vel ad mitur. *Quid adsignificāt hi dati casus præter personam aut rem c aliquid fit?* Adsignificāt in hon rem, vituperium, commodū, da num, lætitiam, iucunditatem, f vorem, similitudinem *Da exe plum vbi significatur damnu* Virgil. It hasta Tago per temp vtrumque i. in necem Tagi. *Da e emplum vbi significatur in hon nore*

norem? Virgil. Centum cui templa Sabæo Thure calent aræ. cui i. in cuius honorem. *Cum plurima verba acquisitive posita regunt dativum personæ cum accusativo rei, quomodo cognoscitur vter accusativus, vter dativus esset.* Accusativus est qui in oratione passiva fit nominativus, dativus qui illic manet immutatus vt do tibi panem, panis datur tibi *Quotuplicia verba regunt dativum cum accusativo?* Decuplicia: 1 Verba comparandi, vt comparo Virgilium Homero. 2. Verba dandi & reddendi. vt do tibi operam, dono tibi equũ. *Cum dicimus dono te equo, qualis est ille ablativus?* Est ablativus obiecti seu materiæ circa quam fit donum. 3, Verba iubendi & prohibendi: Vt impero tibi silentium. Prohibeo tibi domum. *Interdico quot modis construitur?* Quatuor modis 1 regit dativum cum ablativo vt interdico tibi domo mea. 2. dativum cum accusativo, sed rarius Suetonius in domit. Interdixit histrionibus scenam. 3. habet accusativum cum ablativo sed rarissime. Cæsar lib. 1. de bel. Gal. Omni Gallia Romanos interdixisset. 4. Interdico pro obsto, regit vnicum dativum. Cicero 4. in verrem, Pater improbus cui nemo interdicere possit. *Quarto quæ verba regunt dativum?* Verba nunciandi & declarandi Vt nuncio tibi pacem. Indico tibi veritatem. 5. vendicandi verba, vt ascribo mihi honorem. 6. mittendi, vt mitto tibi literas. 7. Opponendi verba vt resistit iuri. 8 Verba promittendi, vt montes auri mihi pollicetur. 9. Subiugandi, v Rex subiugavit sibi hostes. 10. Plurima de quibus non datur certio regula, quam quod regant dativum significantem personam aut rem cui aliquid fit. Vt addixit me morti Oro tibi veniam. *Quarto, quæ verba regunt dativum præter illa quæ regunt dativum cum accusativo?* Verba quæ regunt dativum vt proprium casum *Quid hoc est regere dativum vt proprium casum?* Hoc est raro legitur in oratione cum alio casu præter dativum *Quotuplicia verba regunt dativum vt proprium casum?* Vndevigecuplicia. 1. Composita a fore Cicero, Sulpitio, Maior mihi rati affore nulla potest. 2 Composita sum. Cicero in philip. Omnibu his pugnis Dolabella affuit. *Reguntne hæc verba quandoque alios casus?* Regunt accusativum vel ablativum cum Præpositione: Vt adsum in pugna, vel adsum ad pugnam. 3. Cōposita a fio & facio V facio non mutat a in i vt satisfaci tibi. Virgil. Lac mihi non æsta novum, non frigore desit. 4. Composita cum præpositionibus p ad, con, sub, ante, post, ob, in, inter: vt annuo tibi, consonat veritati, subiicitur imperio & c 5. Verba occurrendi. Virgil. occursare capro, cornu ferit ille, cave 6. Verba favendi, vt aspiret De cœptis tuis. 7. Verba studendi, diligentiam adhibendi vt incum

laudi, invigilo pecuniæ, 8. Medendi verba. *Virg.* Senibus medicantur anhelis. 9: Verba adulandi: vt blandior matri. 10. auxiliandi: vt subvenio pauperi. Huc spectant etiam significantia commodum: vt orant defessis subeant rebus. 11 Famulandi verba: vt inservimus amico. 12: Nocendi: vt caput mihi dolet. *Quæ verba huc spectant?* Verba significantia incommodum: vt obtrecto socio, contradicit mihi. 13. Parendi verba: vt obedio patri. Terent. in Heautont. Vin tu homini stulto auscultare. 14 Præsidendi: vt Sapiens dominabitur astris: 15. Pugnandi verba, poetice regunt dativum. Virg. Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas: 16. Parcendi verba, & veniam dandi Plaut. in Mostel. Stultitiæ adolescentiæque eius ignoscas. 17. Gratulandi: Virg. Inveni Germana vicem, gratare sorori. 18. Quædam impersonalia regunt dativum cum infinitivo: viz. contingit, restat, placet, evenit, accidit, & fit, sufficit, constat, libet, liquet, dolet, convenit, præstat, attinet, spectat, vacat conducit, expedit, licet, vt peccare licet nemini: Non vacat mihi scribere. 19: Multa verba regunt dativum, vt propriũ casum quibus non datur certior regula quam quod regant dativum personæ aut rei cui aliquid fit: vt Cano surdis: Terent. Si quid peccat filius mihi peccat. *Quinto quæ verba regunt dativum?* Verba regunt dativum loci, quæ etiam in eodem sensu regunt alios casus: vt habitat Carthagini: vide cap. 28.

Cap. 20.

Verba regentia accusativum.

QVot modis regunt verba accusativũ casũ? Duobus modis, ante se & post se: *Quæ verba habent ante se accusativum?* Verba personalia infiniti modi. De his vide cap. 24. *Quotuplicia verba regunt accusativum post se?* Vndecuplicia. 1: Activa verba: *Quomodo differunt verbum activum & verbum activi generis?* Verbum activum est quod significat agere: verbum activi generis est quod in o desinens, significat agere & potest formare passivum in or: *Quid est verbum activum in hoc loco?* Est quod significat agere. *Verba activa quomodo aliter vocantur?* Transitiva. *Transitivũ verbum quotuplex est?* Triplex. 1. Debilis transitionis. *Quid est verbum debilis transitionis?* Quod vt proprium casum, solum capit genitivum, vel dativum, vel ablativum, sine præpositione: vt misereor peccatoris, faveo amicis, potior auro. 2. vehementis transitionis: *Quid est verbum vehemẽtis transitionis?* Quod vt propriũ casum post se habet vnum accusativum rei patientis, vt amo Deum 3. vehementissimæ transitionis: *Quid est verbum vehementissimæ transitionis?* Est quod vt proprios casus post se regit duos accusativos diversos sine præpositione: vt rogo te veniam. *Quem casum regunt* ver-

verba activa? Accusativum: vt lego literas. *Quomodo resolvitur constructio verbi regentis post se accusativum?* Nominativus ante verbum mutatur in ablativum cum præpositione, verbum activum mutatur in passivum, accusativus mutatur in nominativum, vt ego colo iustitiam, iustitia colitur a me. *Quid si verbum desinens in or regit accusativum?* Mutabitur in aliud verbum significans pati: vt loquor mendacium, mendacium dicitur a me: vel activa significatio mutabitur in passivam: vt hortor fratrē, frater hortatur a me. *Quotuplicia verba significantia agere regunt accusativum?* Quadruplicia. 1. verba activi generis: vt amo Deum: 2. verba neutra activæ significationis: vt curro stadiū: 3. deponentia: vt minatur mortem: 4: Communia, vt criminor te. *Secundo quæ verba regunt accusativum?* Quæ regunt geminum accusativū. *Quales regunt accusativos?* Accusativos rei & personæ: vt doceo te Grammaticam, *Quomodo resolvuntur hi casus cum passivo verbo?* Accusativus rei manet, accusativus personæ vertitur in nominativum, nominativus ante verbum vertitur in ablativum cum præpositione: vt tu doceris a me grammaticam. *Quotuplicia verba regunt geminum accusativum?* Quadruplicia. 1. Verbum cælo: vt cœlo te arcana mea. *Quot modis construitur cælo?* Quatuor modis. 1. regit duos accusativos: vt cœlo te hanc rem: 2: regit dativū personæ & accusativum rei: vt cœlo tibi consilium meum: 3. regit accusativum personæ & ablativum rei cum præpositione. Cicero lib. 7 epist. Bassus noster de hoc me libro cœlavit. 4: regit ablativum personæ cum præpositione, & accusativum rei: Lucanus, a superis cœlate diem. *Secundo quæ verba regunt geminum accusativum?* Rogandi verba: vt exigo, flagito, moneo, oro, obsecro, peto, postulo, posco, precor, & horum composita. *Quot modis construuntur?* Duobus modis. 1. Regunt duos accusativos. *Virg.* Pacem te poscimus omnes: 2. regunt accusativū & ablativum cum præpositione: *Virg.* 11. Ipsum obtestemur, veniamque oremus ab ipso. *Tertio quæ verba regunt geminum accusativum?* *V*erba docendi: vt edoceo, dedoceo perdoceo, erudio. *Quot modis construuntur?* Duobus modis. 1. Cum gemino accusativo: plaut. Paupertas omnes artes perdocet: 2 cum accusativo personæ & ablat. cum præpositione: vt Salust. in Iugurth. Qui Senatum docerent de cæde fratris. *Quarto quæ verba regunt geminum accusativum?* *V*erba vestiendi: vt vestio cingo, calceo *Quot modis construuntur?* Tribus modis 1. regunt duos accusativos, vt induite armaturā Dei. 2. dativū cum accusativo: vt Ovid. in ponto: Dumq; latus sancti cingat tibi turba Senatus, 3, Regunt accusativum cum ablativo: Ovid.

1. Metamor. Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis. *Tertio quæ verba regunt accusativum?* Verba regunt accusativum per Synecdochen: vt olet vnguenta: De his vide cap. 13. *Quarto?* Regũt accusativum significantem spatium loci: vt latum culmum ne abieris. Vide caput 21. *Quinto?* Quæ regunt accusativum significantem spatium temporis: vt potavit totã noctem: vide cap. 21. & 30. 6. Quæ significant motionem ad locum: vt navigavit Carthaginẽ: vide cap. 23. 7. Quædam impersonalia verbis infiniti modi coniuncta regunt accusativum. *Quæ sunt illa?* Delectat, decet, iuvat, oportet: vt decet te caste vivere. *Quæ impersonalia his addidit Aldus?* Offendit & lædit: vt lædit stomachum scribere. *Quæ alia his addi possunt?* Latet, facit, & alia quæ infinitivum loco nominativi habere solent. 8. Impersonalia quæ regunt genitivum cum accusativo, viz. pænitet, tædet, miseret, miserescit, pudet, piget. vt pænitet me peccati, tædet me vitæ: miseret Christum peccatoris. *Quæ verba comprehenduntur sub tædet?* Pertædet, distædet: vt pertædet me matrimonii: Tui me distædet. *Quomodo differunt pudet & piget?* Pudere est verecundiæ, pigere pænitentiæ. 9. Recordandi verba & obliviscendi. *Quem alium casum regunt?* Genitivum: vt memini lectionis, vel lectionẽ. Obliviscor historiæ vel historiam.

10 Compositum regit casum præpositionis cum qua componitur: vt alloquor patrem. *Vnde componitur alloquor?* Ab ad & loquor. *Exeo quot regit casus?* Duos, accusativum & ablativum. *Quando regit accusativum?* Cum componitur ab extra & eo. Statius: Campum exire vetat. *Ablativum quãdo regit?* Cum componitur ab ex & eo. Virg. Quamvis multa meis exiret victima septis. 11. Verba regunt accusativum cognatæ significationis: vt vivo vitam. Endimionis somnium dormis, curro cursum. Cap. 21.

Verba regentia ablativum.

Quotuplicia verba regunt ablativum? Duplicia: quæ regunt ablativum sine præpositione, vel cum præpositione. *Quotuplicia regunt ablativum sine præpositione?* Decuplicia. *Primo?* quæ sub eodem sensu regunt genitivum. *Quotuplicia sub eodem sensu regunt genitivum?* Octuplicia 1: Verba vendendi: vt asse vendidi & non pluris: 2: Emendi: vt Tribus assibus emi & non minoris. 3. Accusandi: vt herumne insimulas furti, an sacrilegii, an vtroque. 4 Excusandi: vt Purgo te furti vel furto. 5. Damnandi: vt condemno te sceleris vel scelere. 6 Absolvendi: vt absolvo te criminis vel crimine. 7. Verba inopiæ: vt egeo Pecuniæ vel pecunia. 8. Copiæ: vt abundo æris vel ære. Se-

cund

Secundo, quæ verba regunt ablativum? quæ sub eodem sensu regunt accusativum vel ablativum. *Quotuplicia sunt?* Quadruplicia 1. Verba regunt accusativum vel ablativum significantem spatium loci: vt, mare distat ab hac vrbe quatuor millia vel milliaribus: vide cap. 29. 2. quæ significant spatium temporis: vt Nestor vixit tres ætates, vel tribus ætatibus. vide cap. 30. 3. quæ regunt accusativum vel ablativum significantē mensuram absolutam: vt corium distenditur tres vlnas vel tribus vlnis. *Quot partes orationis regunt casum mensuræ absolutæ?* Tres. 1. Nomina: vt hasta longa decem vlnas De his vide cap. 13. 2. verbū: vt scrupulum valet vicena sestertia vel sestertiis 3. Participium: vt accepi denarium denos æris valentem. 4. quæ regūt ablativum per synecdochen: vt doleo caput vel capite. *Tertio, quæ verba regunt ablativum sine præpositione?* Verba regunt ablativum causæ efficientis: vt taceo pudore. De his vide cap. 14. *Quarto?* Quæ regunt ablativum significantē materiam ex qua aliquid fit: vt faber cudit nummos auro. *Quomodo sæpissime regunt hæc verba ablativum?* Cum præpositione: vt faber ex auro facit calicem: homo factus e limo terræ. *Apud quos subaudiri solet præpositio?* Apud poetas: Virg. Sectaque intexunt abiete costas. *Quinto?* Verba regunt ablativum significantem materiam circa quam proprietas versatur: vt, vtere divitiis, vescor herbis, nutrio te cibo *Quotuplices dictiones regunt ablativum materiæ circa quam?* Triplices. 1. Nomina quædam adiectiva: vt vir duplex animo, fœcundus prole, integer vita. 2. Verba: vt vtere divitiis, vescitur herbis 3. Participia, vt a quo fuerant milites aucti honore. *Sexto?* Quæ regunt ablativum instrumēti: vt scribo calamo. *Septimo?* Quæ regunt ablativum modi actionis. *Quomodo differt hic ablativus ab ablativo instrumenti?* Ablativus modi respondet ad quæstionem factam per quomodo: ablativus instrumenti respondet ad quæstionē factam per quo instrumento. *Quæ sunt interrogativa causæ efficientis?* A quo vel per quem: vt a quo factus est præsul? Divino numine. *Quæ sunt interrogativa causæ finalis?* Cur & in quem finem: vt, Cur bellum gerunt Getæ? Propter victoriam. *Quæ sunt interrogativa causæ materialis?* Vnde vel ex qua: vt, Vnde factus est calix? Ex auro. *Quæ sunt interrogativa causæ circa quam?* quo vel quâ re, vt quo præpitus est? Virtute. *Quotuplices dictiones regunt ablativum modi?* Triplices. 1. Nomina, *quotuplicia nomina?* Duplicia. 1 substantiva vt pater natura, præceptor consiliis. 2. Adiectiva, vt facies miris modis pallida. *Secundo?* Verba: vt alta voce loquitur, submissa voce cātat. *Tertio?* participia: vt alta voce cantans. *Octavo quæ verba regunt ablativum?* Quæ significant mot

motionem e loco: vt Rure reversus est. Vide cap. 28. *Nono?* Quæ regunt ablativum significantē mensuram excessus. *Quotuplices dictiones regunt ablativum mensuræ excessus?* Triplices. 1. Nomina: vt longior te digito. 2. Verba, vt excedo te digito. 3 participia: vt, excedens te digito. *Decimo?* Verba regunt ablativum significantē speciem temporis: vt Tabellarius venit hora tertia *Quotuplicia verba regunt ablativum cum præpositione?* Sextuplicia. 1. Verba passivæ significationis. *Quotuplicia verba passivè significantia regunt ablativum cum præpositione?* Triplicia 1. Verba passivi generis: vt amor a Deo. 2. Verba neutra quæ pati significant: vt exulo a patria. 3. Communia in passiva significatione: vt amplector a fratre, criminor a te. *Secundo?* Accipiendi verba: vt a Rege munus accipere gaudes. 3. verba dandi. vt dedi a me tres literas. 4. Distandi verba, vt hic locus longe distat ab Oceano. 5. Removendi verba: vt decessit a parentibus 6. Verba regunt ablativum materiæ ex qua: vt, faber cudit nummos ex auro.

CAp. 22.

Verba regentia diversos casus.

QVot modis regunt verba plures casus? Duobus modis, vel sub eodem, vel sub diverso sensu *Quotuplicia regunt diversos casus sub eodem sensu?* Sextuplicia. 1. quæ regunt nominativum vel genitivum: vt non est meum, vel non est mei officii. 2. quæ regunt genitivum vel accusativum: vt obliviscor mortis vel mortem. 3. quæ regunt genitivum vel ablativum: vt egeo pecuniæ vel pecunia. 4 quæ regunt dativum vel ablativum cum præpositione: vt, itur omnibus vel ab omnibus. 5. quæ regunt dativum vel accusativum cum præpositione: vt, it clamor cœlo vel ad cœlum. 6. quæ regunt accusativum vel ablativum sine præpositione: vt Nestor vixit tres ætates, vel tribus ætatibus. *Quot modis ponuntur plures casus diversi sensus in vna & eadem oratione post verbum?* Septem modis. 1. Cum duo casus simul ponuntur: vt age Deo gratias. 2. ponuntur tres casus simul vt, dedit mihi hanc vestem pignori 3. ponuntur quatuor casus simul vt, Lacedemone mihi scripsit pater tres epistolas, propria manu. 4. Ponuntur quinque casus simul: vt, Domi parentibus, die Dominico, historiam læto animo legi. 5. Ponuntur sex casus simul vt, Eme mihi chartam scribendi gratia, primo die feriarum, pretio æquabili, idq; quanta poteris diligentia. 6 Ponuntur septem casus simul: vt, Non hostibus, sed suis civibus domi, & peregre, manu forti, sententia iusta, vlciscente iratos latrones supplicio punit iudex iustus. 7. Ponuntur octo casus simul vt, Non hostibus, sed suis civibus domi, & peregre, manu forti, se-

tentia iusta, vlciscente ira, latrones supplicio punit, iudex iustus, tempore opportuno. *Quales sunt hi casus?* Hostibus & civibus sunt dativi personæ, domi genitivus loci, manu forti, ablativus instrumenti, sententia iusta, ablativus modi, vlciscente ira, ablat. causæ efficientis, latrones, accusat. rei: supplicio, ablat. pænæ, tempore opportuno, ablat. temporis.

CAP. 23.

Nam regimen fit idem, si significatio par sit.

Q*Votuplices dictiones regunt casum per hanc regulam?* Sextuplices. 1. Quemcunq; casum regit nominativus, illum regunt etiam obliqui: vt plenus gratiæ, pleni gratiæ. 2. casum indicativi regunt cæteri modi, cum gerundiis, supinis & participiis: vt, amo, ama, vtinam amarem deum &c. 3. Positivi casum regunt comparativus & superlativus: vt, doctior & doctissimus pilæ. 4. Adverbia regunt casus primitivorum vt: Omnium simillime mihi cantat, recte dicitur, quia simillimus mihi dicimus. Pridie calendarum, quia dies calendarum dicimus, & pridie calendas: quia subauditur ante. *Quot modis construuntur propius, proximè, propior, proximus?* Tribus modis. 1. Regunt dativum: Virg. 2. Georg. Aut quos oceano propior gerit India lucos. 2, accusativum, Plaut. in penulo, quis pulsat? qui te proximus est. 3 Habent accusativum vel ablativum cum præpositione ad, vel a, Livius lib. 1. Ducit exercitum quam proxime ad hostem potest: Quinto, Nomina quædam pro participiis verborum casus regunt, sed rara sunt: vt, Præscius ventura, populabundus agros. i. præsciens ventura, populans agros. Sexto. Neutra verba pro activis habẽt activorum casus: vt, ardeo Deum, pro valde amo Deum: Virg. Formosum pastor Coridon ardebat Alexin. Idem, Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ.

CAP 24.

Infinitivi Constructio.

Q*Vot modis construitur infinitivus modus?* Duobus modis. ante se & post se. *Quot modis construitur ante se?* Quinque modis. 1. Habet accusativum ante se: vt, aiunt Regem adventare. 2. Ponitur absolute, cum ponitur pro nomine: vt, furare est peccare. 3. Cum nominativo casu. *Quot modis habet infinitivus nominativum ante se?* Tribus modis. 1 Cum capitur pro imperfecto indicativi: vt, Omnes mihi invidere. Resolve, i. omnes mihi invidebant. 2. Cum capitur pro gerundio in di: vt, Est-ne tempus cantare, id est, tempus cantandi. 3. Cum capitur pro gerundio in dum, vt paratus scribere, id est, ad scribendum. *Quarto quomodo construitur infinitivus ante se?* Cum verbo finiti modi, vt disce scribere. 5. Cum verbo infiniti modi, vt, Herodem dicunt sacræ literæ cu-

vixisse videre Christum. *Quot modis construitur infinitivus modus post se?* Quinque modis. 1. ponitur absolute: vt, disce scribere. 2. Habet adverbium post se: vt, scite scribere novit. 3. Habet post se verbum finiti modi. *Quando hoc fit?* Cum ponitur pro nominativo: vt, scire tuum nihil est. 4 Infinitivus habet infinitivum post se: vt, Tormenta maleficos cogunt velle mori. 5. Habet post se verbi finiti casum: vt, noli meminisse iniuriarum. servire Deo est regnare. *Quot modis capitur infinitivus?* Septem modis. 1. In propria natura: vt, virtuti studere Christianum decet: 2. pro indicativo: vt, Ego minas eorum floccipendere. 3. pro nomine: vt, Dominus dedit mihi sapere, id est sapientiam. 4. Pro gerundio in di: vt, tempus est cantare, id est cantandi. 5. pro Gerundio in dum: vt, paratus cantare, i. ad cantandum. 6. pro supino in um: vt, vado piscari, id est piscatum. 7. pro participio, vt quidam volunt. Virgil. Phyllida amo ante alias nam me discedere flevit, id est me discedentem, vide cap. 8. &c.

CAP. 25.
GERVNDIORVM Constructio.

VNde dicitur gerundium?* A gerendo. *Quare?* quia verbi constructionem gerit. *Quomodo differunt gerundium & gerundivum à participio in dus?* participium in dus est futuri temporis & exponitur per verbum futuri temporis & relativum nomen: vt, vidi latronem cras decollandum, i. qui cras decollabitur, Gerundivum est eadem vox, sed factum est nomen adiectivū amissione sensus, & temporis simul: vt, vir honorandus, Dominus reverendus, vel amissione temporis solum: vt, veni causa audiendi historiæ. Gerundium non declinatur per genera, numeros, & casus, sicut nomina, neque agnoscit tempus sicut participia. *Gerūdia sunt-ne nomina cum casus habeant?* Non. *Quare?* quia declinantur per casus sine genere & numero. *Gerundiorum casus quot sunt?* Quatuor. 1. Nominativus in um: vt, petendum. 2. Genitivus in di: vt, petendi. 3. Accusativus in dum: vt, petendum. 4. Ablativus in do: vt, petendo. *Quomodo declaratur gerundium nominativi casus?* Per verbum oportet vel opus est: vt, serviendum est dignitati, hoc est, oportet servire dignitati. *Quomodo differt nominativus ab accusativo?* Nominativus construitur cum verbo est, accusativus cum præpositionibus ad vel inter & ante: vt, ne præceps sis ad loquendum, inter cœnandum hilaris esto. *An gerundium nominativi casus regit accusativum?* Ita, Virgil. Pacemque Troiano ab rege petendum. *Quem casum futuri regunt gerundia?* Casum verborū à quibus deducuntur: vt, ad discendum literas huc veni. *Da exemplum vbi tria gerundia capiuntur activè*

Vt

Vt, causa discendi literas istuc venio. Virgil. Ænead. 2. Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures Belidæ nomen Palamedis: Inter legendum hoc notavi. *Cedo exempla vbi paßive capiuntur?* Misi filium Coloniam erudiendi causa, memoria excolendo augetur. Virg. Ante domandum ingentes tollunt animos, vide cap. 8.

CAP 26.

SVpinum vnde dicitur? A supinus, a, um, *Quid hoc est?* Id est iacens ventre, & facie cœlum versus *Cedo rationem similitudinis?* Vt, enim talis videt supra se Cœlum: ita supinum quod in verbi coniugatione vltimum est, quasi videt supra se totam coniugationem. *An non rectius participium dicitur supinum, cum post supinū coniugatur?* Non. *Quare?* Quia coniugatur cum verbo non vt pars coniugationis, sed solum vt dictio à verbo formata. *Supinum quid est?* Est verbum in um vel u, sine tempore, casu, & numero. *Quotuplex est supinum?* Duplex. *Doce?* In um vel in u. *Supinum in um quot modis capitur?* Tribus modis. 1. Active: vt, eo scriptum literas 2. Neutraliter cum veniunt à verbis neutris significantibus agere: vt, eo ambulatum. 3. Passive. *Quando capiuntur paßive?* Cum veniunt à neutris passive significantibus: vt abit vapulatum. *Quot modis construitur supinum in um post se?* Duobus modis 1. Habet casum sui verbi: vt, Eo scriptum literas. 2. ponitur absolute: vt pugnatum est. *Quomodo capitur supinum in u?* Semper passive: vt, Nil turpe dictu, visuque hæc limina tangat Intra quæ puer est. vide cap. 8.

CAP. 27.

Participiorum Constructio.

PArticipium quare inventum est? Brevitatis & elegantiæ causa. *Quot modis resolvitur participium?* Duobus modis. 1. In relativum & verbum: vt, Iuveni diligenter studenti faveo, hoc est, Iuveni qui diligenter studet faveo. 2. Per voces dum vel quia: vt, Sole lucente dies est, hoc est dum sol lucet dies est. *Quomodo construitur participium post se?* Cum casu sui verbi a quo deducitur: vt amans Deum. *Cedo exemplum vbi participium capitur pro infinitivo?* Vt, nonne prædictum, nonne communicatum oportuit. *Quis author?* Terentius. *Participium quot modis transit in nomen?* Quinque modis. 1. Constructione. *Quando hoc fit?* Cum casum regit diversum a verbi sui casu: vt, scitus vadorum. 2 comparatione: vt, amans, amantior, amantissimus. 3. Compositione. *Quando hoc evenit?* Cum aliter componitur quam verbum a quo discendit: vt, Indiligens, incantus, inexpertus 4. Amissione significationis: vt, indoctus. pro non doctus. 5: Amissione temporis: vt, palleat omnis amans

CAP

CAP. 28.

Adverbiorum Constructio.

QVot casus regunt adverbia? Sex. 1. Nominativum. *Quæ adverbia regunt nominativum?* Adverbia demonstrandi: vt, En lupus in fabula. 2. Genitivum. *Quotuplicia regunt genitivum?* Quadruplicia. 1. Adverbia loci: vt, nusquam gentium. 2. temporis, vt pridie calendarum. 3. quantitatis: vt potentiæ gloriæque abunde est, 4. Superlativi gradus: scitissime omnium scribit. *Tertio quem casum regunt adverbia?* Dativum. *Quæ adverbia regunt dativum?* Quæ derivantur a nominibus regentibus dativum: vt, canit similiter huic. *Quarto?* Accusativum. *Quotuplicia regunt accusativum?* Triplicia. 1. Adverbia demonstrādi, quæ etiam nominativum regunt: vt, En quatuor aras. 2. Adverbia temporis: vt pridie calendas *Quem alium casum regunt?* Genitivum. *Quid intelligitur cum pridie vel postridie regunt accusativum?* Ante vel post. 3: quæ derivantur a dictionibus regentibus accusativum: vt, propius castra proxime hostem. *Vnde derivantur propius, proxime?* A præpositione prope. *Quinto quem casum regunt?* Vocativum. *Quæ adverbia regunt vocativum?* Adverbia vocandi: vt, O Petre, Heus Iacobe. 6. Ablativum. *Quæ adverbia regunt ablativum?* Adverbia comparativi gradus. *Quomodo resolvitur ille ablativus?* Per adverbium comparandi quam: vt, fortius Hercule nemo pugnat, id est quam Hercules.

CAP. 29.

INterrogativa Adverbia loci quot sunt? Sex: vbi, vnde, quo, qua, quorsum, & quousque. *Vbi quot modis capitur?* Duobus modis. 1. Est adverbium loci. 2. Adverbium temporis. *Vbi adverbium loci quot modis capitur?* Tribus modis 1 Interrogative: vt, vbi studuisti. 2. Relative: vt, habito vbi indoctorum detractione misere vexor. 3. Infinite: vt, scio vbi tu scelus perpetrasti. *Vbi adverbium temporis quot modis capitur?* Duobus modis. 1. pro postquam, Virgil. Hæc vbi dicta dedit. 2. pro quando. Terent. in Andria, vbi voles accerse. *Quo, quot modis capitur?* Sex modis. 1. Est adverbium loci. *Quo adverbium loci, quot modis capitur?* Tribus modis. 1. Interrogative: vt quo vadis. 2. Relative: vt, vado illuc quo abiit Petrus. 3. Infinite: vt, nescio quo abiit. *Secundo quomodo capitur quo?* Pro quanto: vt, quo ditior, eo superbior. 3: Pro coniunctione: vt, Plinius: Neque enim id feci quo tibi molestus essem. 4, pro quare, teste Donato, Terent. quo æquior sum Pamphilo. 5. Adverbium interrogandi est pro ad quid, vel in quem finem: Horat. Quo mihi fortunam, si non conceditur vti. 6. Est ablativi casus: vt, En baculus quo me percussisti. *Vnde, quot modis capitur?* Quatuor modis

modis. 1. Est adverbium loci. *Vnde adverbium loci quot modis capitur?* Tribus modis. 1. Interrogative: vt, vnde venis. 2. Relative: vt, De foro vnde nuper venisti. 3. Infinite: vt, scio vnde venias. *Secundo quomodo capitur vnde?* pro, a quo. *Vnde pro a quo quot modis construitur?* Duobus modis 1. Immediate cum ablativo casu. Virgil. lib. 8. Qui genus, vnde domo i. ex qua domo. 2. ponitur sine casu: vt vnde tibi constat, vnde hæc habes. *Tertio quomodo capitur?* Pro, ad quid. Terent, in Heaut. Vnde petitur aurum. 4. Pro quo iure, teste Lanciloto. Virg. Vnde etiam templo triviæ, lucisque sacratis Cornipedes arcentur equi. *Vnde quid significat si componatur cum numeris?* Significat vno dempto: vt, vnde viginti, id est vno dempto de viginti, viz. novem decem. *Qua, quot modis capitur?* quatuor modis. 1. Est adverbium loci. *Qua adverbium loci, quot modis capitur?* Tribus modis 1. Interrogative: vt, *qua itur ad forum?* Per cœmeterium. 2. Relative: vt, Ibo qua tu iturus es. 3, Infinite: vt, Scio qua itur Romam. *Secundo quomodo capitur qua?* Pro, in quantum: Seneca, Hominem quippe qua animal est, moveri sensu oportet. 3 pro partim: Plaut. in Asinaria, teste Baptista Pio. qua me, qua vxorem, qua tu servum Sauream, circumduce, &c. id est partim me, &c. 4: Est ablativus: vt, qua ratione potes hoc defende-

.. r DI. *Quot modis respondemus ad quæstionem factam per vbi?* Duobus modis: per nomina & adverbia: *Per qua adverbia?* per adverbia quietis vel motionis in loco: vt, hic, isthic, illic, &c. *Cum respondemus per nomina, in quo casu ponitur nomen loci?* Distinguo. *Quomodo?* Si quæris de propriis minoris loci, vel de appellativis & propriis maioris loci. *In quo casu ponuntur appellativum & proprium maioris loci?* In ablativo, mediante præpositione: vt, habitat in vrbe, in Anglia, in agris. *Quotuplicia appellativa excipiuntur?* Triplicia. 1. Primæ declinationis quædam. *Quot sunt?* Tria: militia, terra, toga. *In quo casu ponuntur?* In genitivo: vt, vbi conditur corpus? Terræ. 2. Secundæ declinationis quædam. *Quot sunt?* Tria: bellum, domus, & humus. *In quo casu ponuntur?* In genitivo: vt, ille præstans est belli, togæque. 3. Vnum tertiæ declinationis, viz. Rus, *In quo casu ponitur?* In dativo: vt Ruri se continet, vel in ablativo: Persius ait: Rure paterno est tibi far medicum. *Cum respondemus per propria nomina minoris loci, in quo casu ponitur nomen loci?* Distinguo. *Quomodo?* Si sit singularis vel pluralis numeri: *In quo casu ponitur proprium minoris loci pluralis numeri?* In dativo vel ablativo: vt, studet Athenis: *In quo casu ponitur nomen loci singularis numeri?* Distinguo. *Quomodo?* Si nomen loci sit prim-

& secundæ declinationis, vel tertiæ tantum. *In quo casu ponitur nomen loci primæ & secundæ declinationis?* In genitivo: vt, vixit Romæ, natus est Lugduni: *In quo casu ponitur nomen loci tertiæ declinationis?* In dativo vel ablativo: vt, natus est Carthagini, Studet Tibure. QVO. *Quot modis respondemus ad quæstionem factam per quo?* Tribus modis, per adverbia, verba & nomina. *Per quæ adverbia?* Huc, isthuc, illuc, &c. *Per verba, quot modis respondemus?* Quatuor modis. 1. Per verbum infinitivi modi: vt quo vadis? Vado piscari: *Vbi habetur hic modus loquendi?* In sacris literis: 2. per gerundium mediante præpositione: vt, quo vadis? Eo ad piscandum. 3: Per supinum in um: vt, quo vadis? Eo spectatum ludos: 4. Per verbum finiti modi: vt, Eo vt ludam: *Cum respondemus per nomina in quo casu ponitur nomen loci?* In accusativo: *Quomodo?* Distinguo. *Quomodo distinguis?* Si quæras de propriis minoris loci, vel de appellativis & propriis maioris loci: *Quomodo ponitur proprium minoris loci in accusativo?* Sine præpositione: vt, quo vadis? Eo Parisios: *Quomodo ponuntur proprium nomen maioris loci, & appellativum in accusativo:* Cum præpositione: vt eo ad Italiam: Ovid: Parve, nec invideo, sine me liber ibis in vrbem: *Quot appellativa excipiuntur?* Duo, Rus, & domus. *Quare excipiuntur?* Quia ponuntur in accusativo sine præpositione: vt, eo rus, confert se domum. VNDE. *Quot modis respondemus ad quæstionem factam per Vnde?* Duobus modis: per nomina & adverbia, *Per quæ adverbia?* Per adverbia motionis e loco viz. Hinc, isthinc, illinc, &c. *Cum respondemus per nomina, in quo casu ponitur nomen loci?* In ablativo *Quomodo?* Distinguo. *Quomodo distinguis?* Si sit proprium minoris loci, vel appellativum & proprium maioris loci. *Proprium minoris loci quomodo ponitur in ablativo?* Sine præpositione: vt *Vnde venis?* Carthagine: *Appellativum & proprium maioris loci quomodo ponuntur in ablativo?* Mediante præpositione: vt, rediit e Germania, descendit e solio: *quot appellativa excipiuntur?* Duo Rus, & Domus: *In ablativo quomodo ponuntur?* Sine præpositione vt, rediit domo Petri, rure reversus. QVA. *Quot modis respondemus ad qua?* Duobus modis: Per adverbia & nomina *Per quæ adverbia?* Per adverbia, hac, isthac, illac, &c. *Hæc adverbia, quam loci circumstantiam significant?* Significant motionem per locum: *Nomina in quo casu ponuntur?* Distinguo. *quomodo* Si quæras de propriis minoris loci vel de appellativis & propriis maioris loci: *In quo casu ponuntur propria minoris loci?* In ablativo sine præpositione: vt, qua iter faciebas? Laodicea. *In quo casu po-*

nuntur appellativum & propri-um maioris loci? In accusativo: *Quomodo?* Cum præpositione: vt, ivit in hortum per aream: Adivit Hispaniam per Galliam. *Quæstiones de loco quotuplices sunt?* Duplices. *Doce?* quæ quærunt speciem loci, & quæ quærunt spatium loci. *Quæ interrogativa adverbia quærunt speciem loci?* Vbi, vnde, quo, qua, quorsum, & quovsque. *Quæ spatium loci quærunt?* quantum, & quamprocul. *Quando fit interrogatio per quantum aut quamprocul?* Cum loci mensura aut intervallum exprimitur. *Cum quæstio fit per quantum aut quamprocul in quo casu ponitur nomen loci?* Distinguo. *Quomodo?* Si aliquid sit factum in loco distante vel non. *Si aliquid sit factum in loco distante in quo casu ponitur nomen loci?* In ablativo: vt, quamprocul ab vrbe captus est latro? Quinto ab vrbe lapide. *Si sola distantia absque facto aliquo significetur, in quo casu ponitur nomen loci?* In accusativo vel ablativo: vt, quantum hinc distat Edinburgum? Iter vel itinere vnius diei.

CAP. 30.

QVæstio de tempore quotuplex est? Duplex, vel de spatio temporis, vel de specie temporis. *Quotuplicia adverbia interrogant spatium temporis?* Duplicia, quæ interrogant spatium continuum vel discretum. *Quæ adverbia interrogant spatium continuum?* Quamdiu, quantisper, quampridem, & quamdudum. QVAMDIV. *Quot modis respondemus ad quæstionem factam per quamdiu?* Duobus modis: per nomina & adverbia. *Per quæ adverbia?* Per adverbia diu, hactenus, tantisper, paulisper, diutule dudum, & reliqua quæ respondent ad interrogata per quamdudum quantisper, & quampridem. *Cum respondemus per nomina, in quo casu ponitur nomen temporis?* In accusativo, vel in ablativo: vt, quamdiu vixit Nestor? Tres ætates, vel tribus ætatibus quamdiu dormit glis: Totam hyemem, vel tota hyeme. *Quæ adverbia comprehenduntur sub quamdiu?* quantisper, quamdudum, & quampridem. *Quæ adverbia respondent ad quæstionem factam per quamdudum?* Dudum, & iamdudum. *Cedo exemplum vbi respondetur per nomina?* Vt, quamdudum obiit pater tuus: Ab hinc tres menses, vel tribus mensibus. *De quo spatio interrogat quampridem?* De spatio rei ante multos annos factæ. *Quæ adverbia respondent ad quampridem?* Pridem, & iampridem. *Da exemplum vbi respondetur per nomina?* Vt, quampridem fuit excidium Troiæ; Ab hinc multa secula, vel multis seculis. *Per quæ adverbia respondetur quæstioni quantisper?* Tantisper paulisper, parumper. *Cedo exemplum vbi respondetur per nomina?* Vt quantisper studuisti? Integram horam, vel integra hora. QVOTIES *Quod est interrogativum spatii temporis*

ris discreti? Quoties. *Quot mo-s respondemus ad quoties?* Duo-bus modis: per nomina & adverbia. *edo exemplum vbi respondemus r nomina?* Vt, quoties te admo-uit pater? Multis vicibus. *Per quo-plicia adverbia respondemus ad uoties?* Per duplicia; quæ signi-cant spatium certum, vel incer-um. *Quæ adverbia significantia atium incertum respondent ad uoties?* Toties sæpe, raro, ple-unque, quotiescunque, & simi-a. *Quæ adverbia significantia atium certum & discretum re-spondent ad quoties?* Adverbia nu-meri: vt, septies in die clamavi ad Dominum. Octies apparuit Chri-stus discipulis. *QVANDO. Quod dverbium interrogat speciē tem-poris?* Quando. *Quot modis respon-demus ad quæstionem factam per uando?* Duobus modis, per nomi-a & adverbia. *Cum respondemus er nomina in quo casu ponitur omen temporis?* In ablativo: vt, quando venit tabellarius? Hora ter-ia pomeridiana. *Respondetur ne uandoque in accusativo?* Etiam *Quomodo?* Mediante præpositione ccusativum regente: vt, quando inientur dolores? Post mortem. *Per quæ adverbia respondemus ad uando?* Heri, hodie, cras, pridie, postridie, alias, olim, perendie, no-ctu, interdiu imprimis, iamprimū, quamprimum, quandoque, quan-docunque, simulac, simulatque: item per adverbia ordinis cum empus denotant. PRÆPOSI-TIONVM constructio habetur in lib. 1. CAP. 31.

De Interjectione.

AN *omnes interiectiones re-gunt casum?* Non. *Quot præ-cipue casum regunt?* Sex. Heu, O, hui hei, væh, proh. *Quot modis vtimur interiectione heu?* Tribus modis. 1. Est dolentis interiectio regens accusativum: vt, heu me miserum. 2. Est dolentis sine casu: vt, heu quid agat. 3. Est exprobrā-tis. Virgil. Heu stirpem invisam. *Quot casus regit heu?* Tres. 1. Nominativum: vt, heu dementia. 2. accusativum: vt, heu me, quia incolatus meus prolongatus est. 3. Vocativum: vt, heu socii, nullæ ne manus, nulla arma valebunt. *O quot modis capitur?* Quinque mo-dis. 1. Est vocalis. 2. per similitudi-nem capitur pro fine, quia ω est vl-tima litera Græcorum. 3. Est ad-verbium vocandi: vt, O Pamphile salve. 4. Adverbium optandi: vt, O mihi præteritos referat si Iupiter annos. 5. Est interiectio multiplicē animi motum notans. *In quotupli-ci significatione legitur?* In qua-druplici præcipue. 1. Est dolentis: vt, O me miserum. 2. Admirantis: Iuvenal. O qualis facies! & quali digna tabella! 3. Indignantis: vt, O tempora! ō mores! 4. Exultan-tis: vt, O mihi sola mei super A-stinactis imago. *Quot casus regit O?* Tres. 1. Nominativum: vt, O festus dies hominum. 2. Accusati-vum: vt, O fortunatos nimium, sua bona si norint agricolas. 3. Voca-tivum

tivum: vt, O fortunati quorum iam mœnia surgunt. *Hui quem casum regit?* Accusativum: Terent. Hui tam graves rastros quæso. *Hei quem casum regit?* Dativum: vt, hei misero mihi. *Vah quot modis construitur?* Tribus modis. 1. Cum dativo: vt, væh tibi, 2. Apud Veteres habuit accusativum: Persius, væh te. 3. ponitur sine casu. Virg. Mantua væh, miseræ nimium vicina Cremonæ. *Proh quot casus regit?* Tres. 1. Nominativum: vt, Proh dolor. 2. Accusativum: vt, proh Deum atque hominum fidem. 3. Vocat. vt, Proh sancte Iupiter quid video.

CAP. 32.

R*Esolutio orationis quid est?* Est qua singulæ orationis partes per se declarantur. *Quot sunt huius declarationis regulæ?* Septem. *Prima quæ est?* Excitandi particulæ sumunt principiũ. *Quotuplices sunt excitandi particulæ?* Duplices. Adverbia & interiectiones. *Quotuplicia adverbia?* Sextuplicia. 1. Interrogativa: vt, vbi, quando, cur. 2. Responsiva: vt, hic heri, 3. Adverbia optandi. 4. Demonstrandi. 5. hortandi. 6. Vocandi. *Secunda regula quæ est?* Post hæc sequitur vocativus si sit in oratione. *Tertia quæ est?* Post vocativum sequitur nominativus à fronte verbi rectus. 4. Post nominativum sequitur verbum impersonale finiti modi. *Quod si prædicta non sunt in oratione?* Tunc ab impersonali incipiendum: vt, tædet me vitæ. *Quinta regula q*
est? Dictio recta à tergo sequi
regentem. 6. Declarans declara
postponitur. 7. Si quid subaudi
suppleri debet. *Cedo unum exe*
plum vbi omnes hæ regulæ obser
tur? In te locavi spem meam,
Creator optime. *Resolve?* O C
ator optime, ego locavi spem m
am in te. *Declara orationis par*
per has regulas? 1: O, est excita
di particula. 2. Creator optim
vocativi casus, 3. ego, nomina
vus. 4. locavi, verbum. 5. spem m
am, reguntur & exponuntur p
locavi. 6. meam, est declarans,
ponitur post spem 7. ego, suba
ditur, & in expositione exprimit
Quotuplicia declarantia ponu
tur post suum declaratum? Dec
plicia. 1. Adiectivum ponitur p
substantivum: vt, liber meus.
Adverbium post verbum: vt, cu
rit celeriter, sed ornate dicimus c
leriter currit. ante orationis resol
tionem. 3 Infinitivus post finitu
vt, disce servire. 4. Infinitivus p
adiectivum: vt, certus mori. 5: G
rundium post adiectivum: vt
certus moriendi 6. Supinum p
adiectivum: vt, turpe dict
7. Infinitivus post accusativu
vt, Regem adventare. 8. Præp
sitio cum suo casu post verbu
vt, vado ad forum. 9. Dictio re
post regentem. 10 Oratio quæ a
hæret interiectioni, ponitur p
interiectionem, quia declar
causam passionis animi quam i
teriectio exprimit: vt, O festus

s hominis. *Quot modis ordimus rationem?* Sex modis. 1. A vocativo casu, cum excitandi particula, vel expressa, vel subaudita: vt, arige aures Pamphile. 2. à nominativo & verbo: vt, sapiens dominabitur astris. 3. a verbo impersonali: vt, miseret me tui. 4. ab interrogativa dictione: vt, quem quæritis. ab interiectione: vt, eheu quid faciam. 6. a coniunctionibus vt, Sed tamen amoto quæramus seria ludo. *Quotuplices dictiones recte præcedunt dictionem regentem contra quintam regulam?* Triplices. 1. dictiones interrogativæ: vt quanti docuit Socrates. 2. Dictiones relativæ: vt, videbunt Dominum quem transfixerunt. 3. Infinitæ: vt, narra qualem se præbuit artificem.

CAP. 33.

De Constructione figurata.

Figura constructionis quid est? Est quæ magis probatorum authorum consuetudine, quam grammaticorum analogia nititur. *Quotuplex est?* Triplex. 1 quæ fit in defectu aliquo. 2. quæ fit in excessu. 3. quæ fit in mutatione. *In defectu qua figura dominatur?* Eclypsis. *Eclipsis quid est?* Est dictionis ad legittimam constructionem necessariæ in sensu defectus. *Quotuplex est?* Duplex. 1. necessaria. 2. voluntaria. *Eclipsis necessaria quid est?* Est eius quod vsus prorsus abolevit *Quotuplices dictiones reticentur per eclipsin necessariam?* Quadruplices. 1. Nomina. 2. verbum substantivum cum relativo. 3. Participium ens vel existens. 4. Præpositiones quædam *Quotuplex casus nominum respuitur per eclipsin necessariam?* Triplex Nominativus, genitivus, & ablativus. *Quæ dictiones respuunt nominativum?* Verba exemptæ actionis: vt, fulminat, gelat. *Quæ dictiones respuunt genitivum?* Verba æstimandi, vendendi, & emendi. quæ regunt genitivos adiectivorum per se positorum. *Quos genitivos respuunt?* Substantivorum quæ cum his adiectivis convenirent: vt, merito te semper maximi feci. Tanti est quanti est fungus. *Quod substantivum respuunt hæc verba?* Substantivum pretii vel valoris. *Quæ dictiones respuunt ablativũ?* Verba quæ regunt hæc adiectiva, magno, parvo, plurimo, minimo, paulo, respuunt substantivũ pretii: vt, magno mercantur Atridæ, parvo constat fan es. EVOCATIO. *Quot figuræ reticent verbum substantivum cum relativo, & participia ens, & existens?* Duæ, evocatio, & appositio. *Evocatio quid est?* Est continua tertiæ personæ ad primam vel secundam reductio. *Hinc quotæ personæ fit tota oratio?* Primæ vel secundæ. *Cur dicis continua?* Quia non intercedit coniunctio inter personam evocantem & evocatam: vt, ego pauper canto. *Quando intercedit coniunctio in evocatione?* Cum plures tertiæ personæ connectuntur vni pri-

primæ vel ſecundæ: vt, ego pauper & indoctus contemnor. *Quot ſunt in evocatione neceſſaria?* Quatuor. *Doce?* Perſona evocans, perſona evocata, abſentia coniunctionis, & verbum perſonæ evocanti conforme. *Perſona evocans quæ eſt?* Prima vel ſecunda. *Quæ perſona dicitur evocata?* Tertia. *Perſona evocans & evocata, quot modis eſſe poſſunt diverſorum numerorum?* Quatuor modis. 1. vbi idem de ſe pluraliter loquitur: vt, nos Carolus divina gratia Francorum Rex mandamus, &c. 2. vbi alterum altero numerorum caret, aut ſaltem eſt heteroclitum: vt, ego deliciæ tuæ canto. 3 In collectivis: vt, nos populus ſuperamur ab vno vixque viro. 4. In diſtributivis. Ovid. In magnis læſi rebus vterque ſumus. *Evocatio quotuplex eſt?* Duplex: Explicita: & implicita. *Quid eſt evocatio explicita?* Vbi perſona evocans, & evocata exprimuntur: vt. Ego Appollonius ſcribo. *Quid eſt evocatio implicita?* Vbi perſona evocans ſubauditur: vt, peccatores te rogamus, audi nos. *Evocatio implicita quot modis fit?* Duobus modis. 1. Per nomen ſubſtantivum: vt peccatores te rogamus, audi nos. 2. per adiectivum: vt, multi unum corpus ſumus. APPOSITIO tractatur in cap. 5. *Quot præpoſitiones reticentur per eclipſin neceſſariam?* Duodecem. *Doce?* Secundum, ad, per, in, propter, a, ab, cum, pro, de, e, præ. SYNECDOCHE. *Per quam figuram exprimitur ſecundum?* Per ſynecdochen: vt. longus brachia, id eſt ſecundum brachia. De hac figura vide cap. 13. *Quæ dictiones reſpuunt præpoſitionem ad?* Nomina oppidorum cum motus eſt ad locum: vt. eo Londinum: Pariſios profectus eſt. *Quotuplices dictiones reſpuunt per?* Triplices. 1. Nomina oppidorum cum motus notatur per locum: vt, qua iter faciebas? Laodicea. 2. Nomina magnitudinis: vt, baculus ſeptem pedes longus. 3. Nomina notantia ſpatium temporis: vt, Noctes atque dies patet atri ianua Ditis. *Quotuplices dictiones reſpuunt in?* Duplices. 1. Propria oppidorum quietem vel motionem in loco notantia: vt, vixit Romæ, ſtudet Pariſiis. 2. Ablativus notans ſpeciem temporis: vt, nocte latent mendæ: Vere ſeruntur fabæ. *Quotuplices reſpuunt a vel ab?* Duplices. 1. Nomina motus e loco: vt, Rure reverſus eſt: rediit Athenis. 2. Ablativus cauſæ: vt, Divino numine præſul factus eſt. *Quotuplices dictiones reticent cum?* Duplices. 1. Ablativus inſtrumenti: vt, ſcribo calamo. 2. Ablativus modi actionis: vt, Tacito pede labitur ætas. *A quibu[s] reiicitur de?* Ab ablativis materiæ vt, vas lacte plenum. *A quibus di[c]tionibus exulat pro?* Ab ablativi[s] pretii vel valoris: vt vix drachmi[s] decem opſonatus eſt: Vendidit hi[c] auro patriam. *Quæ nomina deſpi[ciunt] e?* Nomina motus e loco, qu[æ] ſub eodem ſenſu reiiciunt a: vt, ru[re] reverſus eſt. *Vbi ſubauditur pr[æ]*

In ablativis causæ efficientis, qui etiam resolvuntur per voces, per & propter: vt, taceo pudore, mutus metu. *ECLIPSIS voluntariæ exempla in quot partibus orationis reperiuntur?* In omnibus. 1. in nomine: vt, vbi ad Dianæ ventum est, viz. templum. 2. In pronom. Terent. Memini videre, viz. me. 3. in verbo: vt, Nil mihi rescribas, viz. fac vel vide. 4. in participio: vt, Nunc non est oneri ferendo, viz. potens. 5. in adverbio: vt, amplius mille passus hinc abiit, id est quam mille passus. 6. in Præp. vt nunc id prodeo, id est propter id. 7. in interiectione: vt, miseram me, viz. o. 8. in coniunctione: vt, cave credas, id est ne credas. *Quot sunt principales species eclipsis voluntariæ?* Tres: Asyntheton, Aposiopesis, & Analepsis. *ASYNTHETON quid est?* Est coniunctionis suppressio. *Quot modis fit asyntheton?* Duobus modis. 1. cum coniunctio partim supprimitur. 2. Cum omnino supprimitur: *Quando partim supprimitur?* Cum multis cõmunis, cum vltimo tantum exprimitur: vt, quæso liceat (pace quod fiat tua) dare huic quæ volumus, convenire & colloqui. *Quando omnino supprimitur?* Cum trepidam, temerariam, aut repentinam rerum continuationem notamus: vt, veni, vidi, vici. *Coniunctio perfectiva quando supprimitur?* Cum per verbum infinitum resolvi potest vt, sine hoc biduum prætereat, id est, ut prætereat *Resolve?* Sine hoc biduum præterire. *Conditionalis quando omittitur?* Cum potentiali verbo iungitur: vt, Troum socia arma secutum obruerunt Rutuli telis: animam ipse dedissem. Virgil. pro si obruerent. *Cedo exemplum vbi adversativa supprimitur?* Vt, Non poteris oculo quantum contendere Linceus. Non tamen idcirco contemnas Lippus inungi, id est quamvis non poteris, &c. *Cedo exemplum vbi adversativarum redditiva reticetur?* Vt, quanquam est scelestus non committet hodie iterum vt vapulet, i. non tamen committet, &c. *APOSIOPESIS quid est?* Est cum aliqua orationis pars supprimitur ex non prædictis. *Quot modis hoc evenit?* Duobus modis, 1. Ex consilio. 2: Ex perturbatione: *Quando omittitur dictio ex consilio?* Cum omittitur dictio quæ ex dictis necessario postulatur: *Quot modis fit hoc?* Septem modis: 1, Cum supprimitur nominativus primæ & secundæ personæ: vt, si vales, bene est, valeo. 2. cum supprimitur nominativus verbis quorum actio ad solos homines pertinet: vt, Teq; ferunt iræ penitus isse tuæ. Virg. Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti. 3. Ante verbum est cum genitivo, aut adiectivo possessivo munus aut officium supprimitur: vt, Regum est parcere subiectis, & debellare superbos. Contendere non est nostrum. 4. Post præpositionem cum genitivis deorum, templum, dies, aut similis sensus vox supprimitur: vt,

um veneris ad Dianæ, viz. fanũ: omiſit ante Veneris, aut ante lo- s, viz. diem. 5. Cum adiectivis, omo ſæpe ſupprimitur: vt, In vi- ori a vel ignavis gloriari licet. 6. um dativis verbum clauſulæ ac- mmodum ſubauditur: vt Cui ego reſpõdi. 7. Præpoſitionibus ver- m aptum ſubauditur: vt, Ad hæc e viz. reſpondet. 8. Tranſitus ad iud gratia ſupprimitur ſententiæ ontinuatio. *Quot modis ſuppri- itur?* Duobus modis. 1. cum quis r ſe tacet: vt, Sed quid ego hæc tẽ. 2. cum quis alterius interven- tacet: vt, Demiphonem ſi domi t viſam, vt quod. At nos ad te iba us. *Apoſiopeſis quando fit ex per urbatione?* Cum ex affectu ali- uo quidquam ſubauditur. *Quot odis ex affectu fit talis ſubaudi- io?* Sex modis. 1. ex ira: vt, Quos go. Sed motos præſtat compone- e fluctus. 2. ex pudore: vt, Novi- us & qui te tranſverſa tuentibus ircis. 3, Ex timore: vt, De noſtrũ nim omnium, non audeo totum dicere 4. Cum non eſt ſpatium per- gendi: vt, Me me adſum, qui feci: in me convertite ferrum. 5, Cum repente mutamus conſilium: vt, Ille ne: Sed reprimam me: Nam in metu eſſe hunc illi eſt vtile. Ter. 6. Cum gravius volumus intelligi quam habemus dicere. Terent. Tu vt illum tangas omnium viz. peſ- ſime. *ANALEPSIS quid eſt?* Eſt quando ex eo quod diximus, ad id quod dicimus aliquod ſupplendũ omittitur. *In quotuplici oratione fit analepſis?* In duplici. 1. In dialogiſmo. 2. In continua oratione. *Quando fit in dialogiſmo?* Cum quod interlocutor præcedens dixerat ſubſequens recte intelligit. *Ter.* Tu ſola exorere quæ perturbas hæc impudentia tua. Soſt. Egone. *Analepſis quomodo aliter vocatur?* Ἀπὸ κοινοῦ. *Quid hoc eſt?* A communi. *Cur ita nominatur?* Quia dictio ſubaudita pluribus communis eſt. *Analepſis in continua oratione quotuplex eſt?* Triplex. Zeugma, Syllepſis, & Prolepſis. *ZEVGMA quid eſt?* Eſt quoties in ſimilibus clauſulis commune aliquod in vna poſitum in aliis non mutatum deſideratur. *In Zeugmate quot modis detrahuntur dictiones?* Duobus modis, 1: Detrahitur vna dictio: vt, Non locus virum ſed vi locum honeſtat. 2. Detrahũtur plures: vt, Vir ingratus beneficio eſt indignus: ita & qui facile obliviſcitur, viz. eſt beneficio indignus. *Zeugma quotuplex eſt, ſi locum orationis vnde commune mutuatur ſpectes?* Triplex: Protozeugma, meſozeugma, & hypozeugma. *Protozeugma ſeu hyperzeugma quid eſt?* Eſt quando dictio communi ponitur in principio clauſulæ: vt vicit pudorem libido, timorem au dacia, rationem amentia. *Meſozeugma quid eſt?* Eſt quando cõ mune dictum ponitur in medio: v Pudorem libido, timorem vicit au dacia, rationem amentia. *Hyp zeugma ſeu hyſterizeugma qu eſt?* Eſt quando dictio commun

po

Ponitur in fine: vt, Non Venus & vinum sublimia pectora fregit. *Per quot casus fit zeugma?* Per sex. 1. Per nominativum: vt, Carum est mel, & vinum. 2: per genitivú: vt, Neque patris misereris, neque auxiliaris, 3: per dat: vt, neque tibi nocui, neque iuvi. 4: per accusat. vt. Idola neque colit, neque veneratur. 5: per vocativum: vt. Mecœnas atavis edite regibus: O & præsidium & dulce decus meum. 6: per ablativum: vt, Hercule fortior & audacior. *In Zeugmate quot sunt necessaria?* Quatuor. 1. Dictio communis quæ in eadem sententia & exprimitur, & supprimitur. 2: *V*oces quibus communis dictio aptatur. 3: Dictio coniungens. 4: Vt dictio communis in vna exprimatur in alia subaudiatur: *Illustra hæc in hoc exemplo?* Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses: Vlysses est dictio communis, sed coniungens, formosus erat facundus erat, sunt dictiones quibus Vlysses aptatur: Vlysses exprimitur cum voce formosus, subauditur cum voce facundus. *In quotuplici constructione invenitur Zeugma?* In duplici. 1: In convenientia: vt. post tres sæpe dies piscis vilescit & hospes. 2: In rectione: vt, mutat cænacula, lectos, balnea, tonsores. *Zeugmatis clausula quot modis coniunguntur?* Duobus modis. 1: Per adverbia: vt, infirmus sicut ebrius titubat. 2: Per coniunctiones: vt, aut odit, aut amat mulier. *Zeugma quotuplex est si resolutionem clausulæ spectes?* Duplex: locutionis & constructionis. *Zeugma locutionis quid est?* Est vbi dictio communis expressa a subintellecta non differt vt, carum est vinum & mel. Sedet Petrus & Paulus. *Zeugma constructionis quid est?* Est vbi dictio cõmunis expressa differt a subaudita vt, carus est panis & vinũ. *Zeugma constructionis quomodo aliter vocatur?* Syllepsis. *De* syllepsi vide sequ. *SYLLEPSIS quotuplex est?* Duplex vna sub eclipsi, alia sub enallage comprehenditur. *Quomodo differunt?* In syllepsi ecliptica, vna dictio diversis tribuitur vni expresse, alteri subaudite. In syllepsi enallaga, vna dictio pluribus tribuitur expresse. *Syllepsis ecliptica quomodo aliter vocatur?* Zeugma cõstructionis. *Quid est syllepsis ecliptica?* Est cum in dissimilibus clausulis dictio co.nmunis expressa differt ab intellecta. *Quot modis differt?* Sex modis 1. genere. Teren. Vtinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit. 2. numero. Virgil. Hic illius arma, hic currus fuit. 3. casu. Virg. Fistula Damœtas mihi dono quam dedit olim. 4. modo: vt, nec tu faceres, nec ego permitterem, viz. facere. 5: tempore: vt, Cum te ante virum ostendisti, tum hic vel maxime, viz. ostendis. 6: persona: vt, quis affligitur si non ego. De syllepsi analaga vide infra. *PROLEPSIS quid est?* Est quando proprietas quæ cum tota expressa est ad totius partes supprimitur: vt, felix

lix deos qui novit agrestes, Panaq; Sylvanumque senem, nymphasq; sorores. *In prolepsi quot sunt necessaria?* Quinque, viz. totum, partes, determinationes partium, proprietas, & ordo. *Quis ordo requiritur?* Vt totum præcedat, & partes sequantur. *Prolepsis quotuplex est?* Duplex: Explicita & implicita. *Explicita prolepsis quid est?* Est in qua totum & partes exprimuntur: vt, duo ascenderunt: vnus ad templum, alter ad montem. *Implicita quid est?* Est in qua totum intelligitur, vel partes in adiectivo continentur: vt, alter alterius onera portate. *Ostende hic prolepsin?* Totum (vos) intelligitur in portate, & partes continentur in alter. *Dic sensum clausulæ?* Vos portate onera, & alter onus alterius portet, & vicissim alter alterius onus portet. *Prolepsis implicita quotuplex est?* Triplex. 1. Vbi totum solum subauditur: vt, discimus tu grammaticam, & ego logicam, hic nos subauditur. 2. vbi partes solum intelliguntur: vt, nos discimus vterque grammaticam. *Partes hic quæ subaudiuntur?* Ego & tu in voce vterque. 3. Totum & partes intelliguntur: vt, laboramus quisque pro se. *In excessu quot sunt figuræ?* Duæ: Pleonasmus & Epanalepsis. *PLEONASMVS quid est?* Est cum vna pluresve dictiones præter iustam syntaxin superadditur. *Pleonasmus quotuplex est?* Duplex: Epitaticus & otiosus. *Epitaticus pleonasmus quid est?* Est qui ad iustam syntaxin pondus aliquod aut momentum addit. *Cedo exempla?* Vt vidi hisce oculis. nusquam gentium invenio: Nemo homo vidit. Omnia quæcunque postulavit, tulit. *Pleonasmus otiosus quid est?* Qui nihil ad iustum sensum confert. *Quotuplices voces hic præcipue locum tenent?* Decuplices. 1. Antecedens cum relativo repetitum: vt diem dicunt quem ad diem omnes ad ripam Rhodani conveniant. 2. parvus & minutus cum diminutivis: vt, Accipies hic parvu opusculum. 3. Quid interrogativu sæpe redundat: vt, Quid pædagogus ille qui citharistriam? quid re gerit. 4. Genitivus cum adverbiis loci: vt, Te interea loci cognovi. 5. Negativa vocabula, non, nec, & neque post nego, nescio, nemo nullus, nunquam. Cicero: Negan Stoici nec virtutes, nec vitia cresce re. Virg. Nulla neque amnem libavit quadrupes, nec graminis attig herbam. 6. Ante cum compositis ex, præ, & retro, cum compositi ex, re, & simul, cum composit ex, con. Terent. Nonne oportu præscisse me ante, multa simul cō currunt. Virg. Asper acerba tuen retro redit. 7. Vt cum succedit n Terent. Miseret me: Itaque vt n viderem, effugi foras. 8. Particul expletivæ, num, nam, dum, &c. v etiamnum, quisnam adesdum. POLYSYNTHETON huc specta *Polysyntheton quid est?* Est coniu ctionum redundantia: vt, Leonu genus est inter homines vt timuscæ culicesque, pulicesque odio ma

c molestiæ. 10 Nomina sæpe addita verbis vel participiis eiusdem sensus: vt, vivo vitam, curro cursum, dormio somnium. *Ponunturne hi accusativi post hec verba quandoque sine pleonasmo?* Si casus hi determinentur aliis dictionibus non est pleonasmus: vt, vivo vitam Socraticam, curro cursum celerem. Endymionis somnium dormis. *EPANALEPSIS quid est?* Est cum post multa interposita, vel claritatis, vel alia quavis causa id quod in principio collocavimus, repetitur. cum alioqui absque illo plena esset constructio *Quotuplex est hec resumtio?* Duplex. 1. quæ fit iisdem dictionibus repetitis. Virg. Talis amor Daphnim, qualis cum fessa iuvencum, Propter aquæ rivum viridi procumbit in herba, Perdita nec seræ meminit decedere morti, Talis amor teneat. 2. quæ fit diversis dictionibus Cicero: Confirmato hoc de quo si animæ mortales sunt dubitare non possumus, hoc inquam probe stabilito & fixo illud excutiendum est. *Quibus verbis repetitur sensus vocis confirmato?* Verbis probe stabilito & fixo. *Quæ sunt notæ huius figuræ in resumtione?* Inquam, igitur & similia. *Mutatio a vulgari more quotuplex fit in syntaxi?* Triplex. 1. Mutatio ordinis. 2. Mutatio dictionum. 3. Mutatio accidentium. *Per quam figuram mutatur ordo dictionum?* Per Hyperbaton. *Per quam figuram mutantur dictiones vel accidentia dictionum?* per Enallagen. *HYPERBATON quid est?* Est cum ordo legitimus dictionum clausularumve mutatur. *Quæ sunt huius præcipuæ species?* Anastrophe, Hysterologia, Tmesis, Synchysis, Parenthesis, & Hypallage. *ANASTROPHE quid est?* Est præposterus ordo dictionum: vt, Italiam contra, mecum, tecum, vide præpositionem *HYSTEROLOGIA quid est?* Est cum præpositio iungitur verbo quasi composita cum eo & non casui quem regit: vt, Tyriam qui adveneris vrbem, pro veneris ad vrbem Tyriam. Innati triviis, pro nati in triviis. *TMESIS quid est?* Est quando composita voce divisa, dictio aliqua interponitur eius partibus: vt, Septem subiecta trioni, pro subiecta septentrioni. Terent. Passus est quæ meo cunque animo libitum est facere, pro quæcunque. *PARENTHESIS quid est?* Est sermoni antequam absolvatur interiectus sensus, sublatus tamen legitimum sermonem relinquit: vt, Munera (crede mihi) placant hominesque Deosque *SYNCHYSIS quid est?* Est Hyperbaton obscurum & omni parte confusum: vt, Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet, Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus Aras. *Construe hanc clausulam?* Notus torquet tres naves abreptas in saxa, quæ saxa in mediis fluctibus latentia Itali vocãt aras. *HYPALLAGE quid est?* Est cum orationum dictiones contrario modo intelligũtur quam ex-

pri-

muntur. *Cedo exempla?* Vt, Ibant obſcuri ſola ſub nocte, id eſt, ſoli ibant: Sceleratam intorſerat haſtā, pro, ipſe ſceleratus intorſerat, &c. Solſtitium pecori defendite: pro, à ſolſtitio defendite pecora. *ENALLAGE quid eſt?* Eſt mutatio partium orationis, vel earum accidentium. *Quot modis mutantur partes orationis?* Duobus modis. 1. In eodem genere partium. 2. In diverſis. *Quot modis fit mutatio in eodem genere partium?* Sex præcipuè modis. 1 Nomen ponitur pro nomine: vt, Hector vterque animo: Tullius eloquio. *Pro quibus nominibus ponuntur Hector & Tullius?* Pro fortis & eloquens. *Cedo exempla vbi abſtracta capiuntur pro concretis?* Vt, Magnitudo tuorum meritorum, opportunitas loci, inſania hominis. *Reſolve hæc exempla?* Id eſt, magna tua merita, locus opportunus, inſanus homo. 2. Pronomen pro Pronom. Vt. Vivite felices quibus eſt fortuna peracta iam ſua, pro veſtra 3. Verbum pro verbo: vt, Pone metum Cytherea, pro depone metum. 4. Adverbium pro adverbio: vt, Hæc vbi dicta dedit, id eſt poſtquam hæc dicta ſunt. 5. Præpoſitio pro Præpoſitione. vt multa ſuper Priamo rogitans, pro de Priamo. *Quomodo aliter vocatur hæc figura?* Protheſeos parallage. 6. Coniunctio pro Coniunctione: vt, mihi vt omnia quæ volo contingant, non poſſum levari: vt, pro quamvis. *Quot modis mutantur partes orationis in diverſis generibus partium?* Decem modis 1. Nomen ponitur pro adverbio. Vt Sole recens orto pro recenter. 2. Omne pronomen ponitur pro nomine: Vt. Et tu das epulis accumbere divum. Tu pro Iunone. 3. Verbum pro nomine, Vt Velle ſuum cuique eſt, pro voluntas ſua &c. 4. Adverbium pro nomine vt ſic vita erat, pro talis vita erat. 5. Præpoſitio pro adverbio, vt recedo pro retrocedo: 6. Coniunctio pro Adverbio, vt quidem pro certe. 7. Præpoſitio pro Coniunctione, Vt Iuno cum Minerva triſtes cum pro & &c. 8 Coniunctio pro nomine, vt venimus illius ergo, pro illius cauſa. 9. Vna pars ponitur pro pluribus. vt hinc pro ex hoc loco. It clamor cœlo pro ad Cœlum. 10. Plures partes pro vna, vt nunc id operam do, pro nunc id ago. Senatui audiens dicto, pro Senatui obtemperans. Venit mihi in mentem illius temporis pro reminiſcor illius temporis. *Quot modis ponitur accidens pro accidente.* Vndecim modis. 1. Activum pro paſſivo verbo ponitur vt nox humida cœlo præcipitat pro præcipitatur. 2. Paſſivum pro activo vt pictis bellantur Amazones armis pro bellant. 3. Modus pro modo. *Quot modi ponuntur pro modis?* Duo. 1. Subiunctivus pro imperativo, vt quieſcas pro quieſce 2. Infinitivus pro Indicativo, Ter. Facile omnes perferre ac pati pro perferebant & patiebantur. 4. Tempus pro tempore, tui mea cura reſiſtat, pro reſiſteret. 5, Perſona pro per-

persona. Terent. Si quis me quærat Rufus, præsto est, pro præsto sum. Dii faciant sine me non moriatur ego. 6. Modus pro gerundio vt peritus scribere pro scribendi. 7. Modus pro supino vt eo scribere pro eo scriptum. 8 Numerus pro numero, Vt dedimus operam, pro dedi. Messioque ex hoste recepit pro hostibus 9. Impersonale verbum pro personali, vt Omnibus itur ad aurum, pro omnes eunt, &c. 10. Casus pro casu, vt fontem superavi, Timavi pro timavum. 11. Genus pro genere. Horat. Et mammæ putres equina quales vbera, pro qualia. *Quot principales figuræ continentur sub Enallage?* Tres: Syllepsis sive conceptio. synthesis & antiptosis. *SYLLEPSIS sive CONCEPTIO Enallaga quid est?* Est mediata dignioris ad indignius reductio. *Cur dixisti mediatam?* Quia vel explicite vel implicite mediat Coniunctio vel Præpositio Coniunctionis vim habens. *Conceptio quotuplex est?* Quadruplex personarum, generum, numerorum, casuum. *Quot sunt necessaria in omni conceptione?* Quinq; dictio concipiens, dictio concepta, copula, verbum vel adiectivum, convenientia verbi vel adiectivi cum concipiente & non concepta. *Cedo exemplum conceptionis personarum?* Vt Ego tuque damus. *Ostende hæc quinque necessaria in hoc exemplo?* Ego est dictio concipiens, tu concepta, que copula, damus verbum quod concipit in persona cum ego, & non tu. *Cedo exemplum conceptionis generum?* Vt, Rex & Regina beati. *Quid est conceptio personarum?* Est in qua persona à persona concipitur: vt, ego & tu ludimus. *Quotuplex est conceptio personarum?* Duplex: directa & indirecta. *Quid est conceptio directa?* Quæ fit sine cum: vt, tu Petrusque luditis. *Indirecta quid est?* Quæ fit per cum: vt, tu mecum gaudemus. *Quotuplex est persona?* Triplex. 1. Persona dignior, viz. prima. 2. persona indignior, viz. tertia. 3. & persona media, viz secunda. *Cur secundam vocas mediam?* Quia dignior est tertia, & indignior prima persona. *Cedo exemplum vbi prima persona concipit secundam?* Vt, Ego & tu sumus in tuto. *Cedo exemplum vbi secunda concipit tertiam?* Vt, tu & pater estis in periculo. *Cedo exemplum vbi prima persona concipit tertiam?* Vt, Ego & petrus periclitamur. *GENERVM Conceptio quid est?* Est in qua vnum genus concipit alterum: vt, pater materq; sunt boni. *Quod est dignius genus?* Distinguo. *Quomodo?* In rebus animatis vel inanimatis. *Quotuplex est dignius genus in rebus animatis?* Duplex: 1. quod semper manet dignius: vt, masculinum. 2. quod medium est inter dignius & indignius genus: vt, fœmininum. *Cur fœmininum est dignitate medium?* Quia indignius est masculino, & dignius neutro. *Quod est indignius genus in rebus animatis?*

Neu-

Neutrum. *Cedo exempla vbi genus indignius concipitur à digniore?* Vt, Ptolomæus & Cleopatra sunt Reges. Bos & iumentum sunt ad ad præsepe ligati. *Quod est dignius genus in rebus inanimatis?* Neutrum. *Cur censetur dignius genus in rebus inanimatis?* Quia neutrum est verum genus rerum sine sexu, reliqua genera in rebus inanimatis sunt fictitia. *Cedo exempla vbi adiectivum ponitur in neutro genere in rebus inanimatis?* Vt, penna & atramentum sunt necessaria. Panis, caro, & vinum sunt cara. *Fit-ne aliquando conceptio generum in rebus inanimatis?* Raro: vt, Sol & Luna sunt obscurati. *Cur hoc exemplum admittit conceptionem?* Quia subauditur planetæ. *Conceptio generum quotuplex est?* Duplex: Explicita & implicita. *Conceptio explicita quid est?* In qua genus concipiens & conceptum exprimuntur: vt, Ioannes eiusque vxor sunt pii. *Implicita quid est?* Est in qua per masculinum loquimur de viro & fœmina, non expressis genere concipiente & concepto: vt, erat vterque nudus, viz. Adam & Eva. Ovid. de Marte & Venere ait: Impliciti laqueis nudus vterque, &c. *Conceptio generum implicita quot modis fit?* Quinque modis. 1 per distributivum: vt, vterque est probus. Nullus horum Græcus. 2. per particulare: vt, alter horum loquitur. 3. per demonstrativum: vt, hi sunt Christiani. 4. per interrogativum: vt, vter horum mentitur sexum. 5. per substantivum: vt, Latona peperit geminos, viz. Appollinem & Dianam. *In conceptione implicita rerum inanimatarum, in quo genere ponitur adiectivum?* In neutro: vt, vtrumque est homini vtile: viz. aqua & ignis. *CONCEPTIO NVMERORVM quid est?* Est vbi pluralis concipit singularem: vt, sunt nobis mitia poma, Castaneæ molles, & pressi copia lactis. *Conceptio CASVVM quid est?* Est vbi nominativus concipit ablativum cum præpositione: vt, Ilia cum Lauso de Numitore sati. *SYNTHESIS quid est?* Est attributio proprietatis vni vel pluribus copulatis quod non fit gratia vocis, sed significati. *Vnde dicitur?* A Syn id est, con, & thesis, id est, positio. *Cur ita denominatur?* Quia notat significationis gratia compositionem, vel constructionem. *Quot modis fit synthesis?* Tribus modis. 1. In adiectivo & substantivo. 2. In relativo & antecedente. 3. In nominativo & verbo. *Quot modis fit in substantivo & adiectivo?* Quinque modis. 1. Ratione discernendi sexus. Plaut. Audivi hoc vulgo dicier, solere elephantem gravidam esse perpetuos decem annos. 2. Ratione subauditionis: vt, Præneste sub ipsa, viz vrbe. Albula pota, viz. aqua. 3. Ratione collectivi. Virg. Pars hominum validi turres & mœnia scandunt. 4. Ratione distributionis. Ovid. Vtraque formosæ Paridi potuere videri. 5. quan-

Quando abstracto gratia concreti adiectivum iungitur: vt, Scelus postquam ludificatus est virginem Terent. id est scelestus postquam, &c. *Si adiectivum nomen & pronomen ponantur inter duo substantiva, cum quo substantivo conveniunt?* Cum sequente: vt, Asinus est rude animal. *Adiectivum participium positum inter duo substantiva, cum quo substantivo convenit?* Cum præcedente: vt, aqua est facta vinum. *Si ponatur post duo substantiva cum quo convenit?* Cum vtrolibet. *Da exemplum vbi convenit cum priore?* Vt, Ludi Megalesia appellati. *Da exemplum vbi convenit cum posteriore?* Vt, Ludi fuerunt Megalesia appellata. *Quis author horum exemplorum?* Livius. *Quot modis fit synthesis in relativo & antecedente?* Quinque modis. 1. Ad discernendum sexum: vt, anser quæ incubat ovis. 2. Ratione subauditionis: vt, Species est quod prædicatur: viz. vniversale. 3. Ratione collectionis: vt, Congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eas. 4. Ratione distributionis. Terent. Si quisquam est qui placere se studeat bonis quam plurimis, & minimi multos lædere: in his poeta hic nomen profitetur suum. 5. Cum ad abstractum pro concreto fit relatio. Terent. Vbi illic scelus qui me perdidit: scelus, id est, plurimum scelestus. *Quot modis fit synthesis in nominativo & verbo?* Duobus modis. 1. Ratione collectionis: vt, En vtraque gentis turba rogant. 2. Ratione distributionis, & signi particularis quod ad plures pertinet. Sueton. Pro salute quisque pecunias tulere. Terent. in Adelphis. Aperite aliquis actutum ostium. *ANTIPTOSIS quid est?* Est casus pro casu positio. *Petrum ludit: Est-ne Antiptosis?* Non, sed solœcismus. *Quare?* Quia Antiptosis habet authoritatem pro ratione. *Per quot casus fit antiptosis?* Per omnes. 1. per nominativum. Livius apud Priscian. Quando duo consules eius anni, alter morbo, alter ferro perisset, pro duorum consulum. 2. In genitivo, in sacris. Multa vidit oculus meus, & fortiora horum, pro his. 3. In dat. Sisenna historia. 3. Saltui ac velocitati certare, pro, saltu & velocitate: teste Nonio. 4. In accusat. Pomponius apud Nonium. Quot lætitias insperatas modo mihi irrepsere in sinum, pro letitiæ insperatæ. 5. In vocat. Persius Censorem-ve tuum vel quod trabeate salutas, pro, trabeatus: teste Prisciano. 6. In ablat. Plautus in Casina. Habet gladium, sed duos quibus altero te occisurum ait, altero villicum: quibus id est quorum. *Antiptosis quotuplex est?* Duplex licita & illicita. *Antiptosis licita quotuplex est?* Duplex: Necessaria & voluntaria. *Necessaria quid est?* Est quæ semper ab omnibus imitanda est. *Quotuplicia huius adfers exempla?* Quintuplicia. 1. Cum genitivus ponitur post imper-

personale verbum in t pro nominativo: vt, me piget stultitiæ meæ, non enim dicimus stultitia mea me piget. 2. Cum ablativus pro accusativo rei regitur ab vtor, vescor, fruor, fungor: vt, vtere divitiis, vescitur herbis. 3. Cum genitivus vel ablativus ponitur pro accusativo rei post verbum potior: Ovid. Tuq; tuis armis, nos te potiremur Achille. Salust. Romani armorum & signorum potiti sunt. 4. quæ regũt accusativum pro dativo personæ: vt, Doceo te grammaticam. 5. Est semper regit dativum cum exponi potest per verbum adfert: vt, Est mihi voluptati, id est, adfert mihi voluptatem. *Voluntaria antiptosis quid est?* Est cum pro arbitrio dicentis casus mutari possunt. *Quotuplex est?* Duplex: Quæ regulis grammaticorum nititur, vel non nititur. *Cedo exempla eius quæ regulis nititur?* Virg. Quisquis es amissos hinc iam obliviscere Graios. Plaut. ait: Non sinit te oblivisci domesticæ laudis: Item, posce deos veniam, vel posce à diis veniam. *Cedo exempla voluntariæ antiptosis quæ regulis non nititur?* Id genus, pro, eius generis, id ætatis pro, eius ætatis, id temporis profectus est, pro eo tempore, quibus in extremis, pro quorum in extremo. Terent. ait: Quid me faciam, pro, de me. *Antiptosis illicita quid est?* Est quæ à legentibus notanda sed non imitanda est. *Cedo huius exempla?* Plaut. Alienis rebus curas, pro, res alienas. Idem: Quid tibi hanc rem curatio. Terent. Boni & liberalis viri officium functus es, pro, officio. Huc pertinent exempla per ordinem casuum, prædicta. *Quot signris hodie vtuntur Latini quibus linguas exoticas imitantur?* Duabus: Hellenismo, & Hebraismo *HELLENISMVS quid est?* Est cum dictiones latinæ Græco more construuntur. *Virg.* Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas, pro, tecum: Desine quærelarum, pro, à quærelis. *Ad quot latinas figuras revocatur Hellenismus?* Ad tres. 1. ad eclipsin: vt, Hectoris Andromache, viz vxor. Deiphobe Glauci, viz, filia: Forte huius video Birriam, viz, servum. . ad Pleonasmum. Terent. in Phormione: Negat neque eius patrem se scire qui fuerit: Negat neque Stilphonem, &c. Hic redundat neque. 3. Ad Enallagen: vt, Cernere est, pro, licet. Virg. Nec minus Æneas se matutinus agebat, pro, mane: Nec cernitur vlli, pro, ab vllo, per antiptosin. *HEBRAISMVS quid est?* Est cum latina constructio hebraicam imitatur. *Quotuplex est?* Triplex. 1. Eclipsis. 2. Sam. 19. v. 15. Revertere tu & omnes servi tui, viz. revertantur. 2. Pleonasmus: Genes. 37. v. 33. Omnino discerpendo discerptus est Ioseph. 2. Reg. 8. 10. Non vivendo vives: moriendo morieris, &c.. 3. Enallage: Ionæ: 4. v. 10 Qui filius noctis extitit, & filius noctis periit, id est, vna nocte extitit, &c Ibidem, cap.

3. v. 9. Inclamato Deum in fortitudine, id est, fortiter. 2. Sam. 17. v. 10. Et ipsi etiam filii roboris, id est strenui.

CAP. 34

De periodo & distinctione.

Distinctio quid est? Est qua verborum cohærentia finitur. *Quotuplex est?* Duplex: viz. Perfecta & imperfecta. *Distinctio perfecta quid est?* Est quæ plenum sensum puncto claudit. *Quomodo aliter vocatur?* Periodus. *Periodus quotuplex est?* Duplex: Rotundus & caudatus. *Ad quodnam genus orationis pertinet rotundus periodus?* Ad enunciationem: vt pessime istuc in te atque illum cōsulis. *Caudatus quotuplex est?* Duplex. 1. Est punctus habens caudā flexam, & punctus interrogationis vocatur: vt, Sed tamen iste Deus qui sit da Tityre nobis? 2. Est punctus habens caudam rectam, & punctus exclamationis vocatur. *Quotuplex est punctus exclamationis?* Duplex: 1. Admirationis punctus est: vt, O festus dies hominis! 2 Indignationis: vt, Proh Deum atque hominum fidem! *Imperfecta distinctio quid est?* Est quæ sensum imperfectum claudit. *Ad quotuplices partes orationis spectat?* Ad duplices: Ad partes homogeneas seu eiusdem generis. 2. Ad partes heterogeneas seu diversi generis. *Partes homogeneæ quæ sunt?* Quæ cognatione quadam inter se cohærent. *Quotuplici distinctione vtuntur?* Duplici: Colo aut commate. *Colon quid est?* Est quo periodus dividitur duobus punctis rotundis. *Si periodus semel dividatur colo, quomodo vocatur periodus?* Appellatur periodus monocola. *Si bis, ter ve, aut quatuor colo dividatur, quomodo vocatur periodus?* Appellatur bicola, tricola, aut tetracola. *Quotuplicibus verbis constat periodus?* Duplicibus: 1. Principalibus verbis solum. 2. Principalibus simul cum subiunctivis. *Si oratio principalibus tantum constat, quomodo distinguuntur singula verba?* Colis: vt, Serpit, nescio quomodo per omnem vitam amicitia: nec vllam degendæ ætatis rationem patitur esse expertem sui. *Si constat principalibus & subiunctivis etiam, quomodo distinguntur singula verba?* Principalia verba colis, reliqua commatis maioribus distinguuntur: vt, Plerique mortales postrema meminere; & in hominibus impiis sceleris eorum obliti, de pæna disserunt: si ea paulo severior fuit. *COMMA quid est?* Est quo coli partes distinguuntur. *Quotuplex est?* Duplex: maius & minus *Comma maius seu semicolon quid est?* Est quo coli partes primo distinguuntur commate sub puncto: vt, Si ea vtilia non sunt quæ maxime videntur; quia plena sunt dedecoris & turpitudinis. *MINVS quid est?* Est quo minimæ coli partes distinguuntur virgula ad sinistram flexa: vt, Avaritia, fidem, probitatem, cæterasq, bon- ar-

artes subverttit. *Partes heterogeneæ orationis quæ sunt?* Quæ alienæ syntaxi miscentur. *Quotuplices sunt?* Duplices: 1. quæ omnino sunt alienæ, 2. quæ è vicino sumptæ sunt. *Pars omnino aliena quo modo nominatur?* Parenthesis. *Quomodo clauditur?* Duabus semilunulis vtrinque: vt, Æneas (Neque enim patrius consistere mentem, Passus amor) rapidum ad naves præmittit Achaten. *Pars è vicino sumpta quomodo clauditur?* Clauditur commate à principio & fine. *Quem situm habet reliqua pars eiusdem orationis non è vicino sumpta?* Eius altera pars clausulæ è vicino sumptam præcedit, altera sequitur: vt, huic te tanto adiumento esse, si volueris, posse intelligo: vt præterea nihil sit nobis requirendum.

CAP. 35.

MEnses in Anno quot sunt? Duodecim, viz. Martius, Aprilis, Maius, Iunius, Iulius, Augustus, September, October, November, December, Ianuarius, Februarius. *Quot sunt dies in singulis mensibus?* Iunius, Aprilis, September, & November, habent 30 dies: Februarius habet 28, sed in anno bessexto habet 29: Reliqui menses habent 31 dies. *Da super hos versus aliquot?* Iunius, Aprilis, Septemque, Novemque tricenos: Vnum plus reliqui, Februus tenet octo viginti: Sed si bissextus fuerit superadditur vnus. *Quotuplices erant dies mensis apud Romanos?* Triplices: calendæ, nonæ, & idus. *Qui sunt harum primi dies in mense?* Primus dies cuiusque mensis dicitur primus calendarum, seu calēdæ: Septimus dies in martio, maio, iulio, & octobri dicitur nonæ seu primus nonarum: In reliquis mensibus dies quintus, nonæ dicitur: Decimus quintus dies, in martio, maio, iulio, & octobri, idus, vel primus iduum dicitur: In reliquis mensibus, decimus tertius idus vocatur. *Quomodo numerantur calendæ, nonæ, & idus?* Retrorsum vt, primus calendarum aprilis, est primus dies aprilis Secundus vel pridie calend. april. est 31 martii: Tertius calend. april. est 30 martii: Quartus cal. april. est 29 martii: Decimus sextus cal. april. est 18 martii: Item primus iduum april. est 13 aprilis: Secundus vel pridie iduum april. est 12 april. Item nonæ seu primus nonarum aprilis est 5 dies aprilis: Secundus vel pridie nonarum quartus dies: Quartus nonarum aprilis, est secundus aprilis.

Da super hæc versus aliquot?

Principium mensis cuiusque vocato Calendas.
Maius, sex nonas, october, iulius, & mars:
Quatuor at reliqui: Tenet idus quilibet octo.
Post quas, quot restant luces, numerato calendas,
Atque primam mensis lucem superadde sequentis.

FINIS

TABVLA VERBORVM Spectans ad *tertiam partem orationis.*

Regula 1. *Quinque & Viginti tibi præteritum geminabunt:*
Mordeo, cædo, cado, curro, & præ, pendeo, pendo,
Do, tendo, fallo, sto, sisto, spondeo, pello,
Callo, pendo, cano, posco, pedo, parioque
Tundo, tondeo, tango, pango, pungo re, disco,
His Verbis poteris, rectè coniungere, parco
Pluraque si veterum Volvas monumenta Virorum.

Reg. 2. *A Cado, dic cecidi, casum, dic cædo cecîdi*
Cæsum: dic cedo, cessi, cessumque supino:
Verbero, scindo, neco, notat hæc tria cædo cecîdi,
Cessi si faciat discedit sive locum dat.

Reg. 3. *E mutabis in (i) componens cado cecidi.*
Abiicit (a) capit (i) cædo quicquid iunxeris illi.
I Vult produci cædo, cado Vult breviari:
Sed cedo cessi nunquam sinit e variari.

Reg. 4. *A cado quæ Veniunt semper media breViabunt:*
Singula quin etiam sine casu libera stabunt.
Composita à cædo tibi producta resonabunt:
Iungantur quartis: satis hæc exempla probabunt.

Reg. 5. *A cado quæ Veniunt cunctis caruere supinis,*
Occido si demas, occasum quod tibi præbet.

Reg. 6. *Dant (a) per (i) iacio, taceo, statuo, cado, frango,*
Et sapio, rapio, lateo, capio, cano, pango,
Et salio, tango, maneo, nisi per. super & re,
Sic facio, si sit iuncta illi præpositura,
Displicet, & abago trissyllaba sat nisi per, præ,
His habeo, fateor, coniungo & apiscor, amicor.

Reg. 7. *Halo, mando, patro, lacto, damno, sacro, tracto,*
Candeo, cum pario, Velut arceo, scando, fatiscor,
Et fallo, carpo, patior, cum sartio, spargo,
Partior, & gradior, tibi dant (e) in compositiVis.

8. *Lædo, premo, sedeo, rego, quæro, cado, cecidi,*
Et specio, teneo, lego, præter perlego, re, præ,
Atque emo, cum mutant (e) per (i) cupit ambio iungi.

Appel-

Appello, fundo, compello, cum sero, mando, Reg. 9.
Cumque volat dico, & lego confusa leguntur.

Sum cum bis senis componitur, ab, vel ad, & de. Reg. 10.
Inter, in, ob, pro, præ, subter, potis, & super, & sub.
Cuncta nisi possum dant rus, sed participans ens,
Dic præsens absensque, potens sed dicito nomen.

REGVLÆ SYNTAXEOS DESPVTERIANÆ,

Quibus numeri, quæstionum capita indicantes in margine affiguntur: quo facilius *regularum sensus intelligatur.*

MObile cum fixo, genere, & casu, numeroque cap. 3
Conveniat; nomen * sic vult cognomini adesse. cap. 5.
* Pone relativum cum præcedente in eodem cap. 4.
Et genere, & numero, nec non persona in eadem.
* Quando relativo præcedens subdis, eodem cap. 4.
Ponatur casu: quia verbo dantur eidem
Quem scribo librum, bonus est ornatius aio,
Quam *librum quem*: nam raro reperimus in vsu.
* Si referens ponas inter generum variorum cap. 4
Casus, haudque seqneus fuerit proprium, dabis vt vis
Sin proprium fuerit, referens conforme sit illi.
* Consimiles optant casus coniunctio, quærens, capp. 6
Consimilesque modos, si non regimen varietur & 8.
* Ante capit rectum persona convenientem, cap. 2
Et numero, verbum quod personale vocatur,
Nec non finitum. Rectum persæpe tacemus,
Sæpe loco illius quid pono. Ne puer vni § vide
Pluralem dones sermonem, non honor est hic. nallager
§ At de me solo numerus dicetur vtervis. in cap.
* Rectos si binos numerûm verbo variorum
Præponas, verbum quadrabit proximiori: Cap. 1
Omnia pontus erat, dic, & domus antra fuerunt. circa fin
At vestes sunt lana, feras: est lana caveto & cap.
* Cum substante vocans, & vim quod servat eorum, in synth
Si sit res eadem, post se rectum retinebunt. cap. 1
* Esse pares optat casus, sed non malè dices,
Huic licet esse probum: loquitur sic Quintilianus. cap. 1

cap. 5. * Apponens coniunge pari casu duo fixa:
Esto res eadem, declaratumque præito.
cap. 33. * Si ternam primæ des, totum sit tibi primæ,
Sique secundæ des ternam, totum esto secundæ,
Pauper ego canto, *Luca* ~~vir maximus~~ audi.
cap. 33. * Quæ per *&* aut socios iungo, dant rite valorem
Pluralem, sic *cum* pro coniungente repostum.
cap. 33. * Personam atque genus semper dabimus magè digno:
Prima quidem reliquis præstat, ternæque secunda:
Masculeum reliquis præstat, neutro muliebre.
cap. 33. * Implicitam vocites generum Syllepsin, *vterque*
Est probus: at debent mas & fœmella notari.
cap. 33. * Sint res absque anima, ponetur mobile neutrum.
cap. 33. * In partes totum partitur rite PROLEPSIS,
Cum verbo positum. Tacitam quandoque videbis.
cap. 33. * Vnius est verbi ad diversa reductio ZEVGMA,
Aut adiectivi: nihil hic nisi carmina desunt,
Iratus Rex est Reginaque non sine causa.
cap. 33. * Antiptosis erit, pro casu ponito casum,
Pars enim mutata locum pro parte tenebit:
Pro genere adde genus, tum verbis nominibusque
Personam pro personâ, pro tempore tempus,
Proque modo suppone modum, numerumque decenter
Pro numero tibi fiet Enallage rarior vsu.
cap. 33. * Synthesis haud vocem, sed cernit significatum,
Rem magis aspiciunt, quam vocem sæpe Poetæ.
cap. 33. * Multą per Eclipsin sæpe intellecta tacentur,
Dictio namque regens casum, vel dictio recta
Sæpè deest: supplenda tamen, cum postulat vsus.
cap 28. * *En, ecce, hem*, primum, quartumve aliquando requirunt,
cap 31. * *Heu* petit & quintum, velut *ô, hei, væque* dativum,
Pro, primum, quartum, quintumque notatur habere.
Cap. 10. SI duo continuè iungantur fixa, nec vna
Sit res, in patrio rectè casu dabis vnum.
cap. 10. * Possessum spernit patrium, quo passio fertur,
Filius *ergo mei* ne dixeris, at *meus* inque.
cap. 28. * Temporis atque loci, quantique adverbia quædam,
Exoptant patrium: dic venimus illius ergo.
cap. 13 * Quævis proprietas, aut pars, cui mobile iungis,
& 14. Laudem significans, aut vituperamen, habeto,
Aut patrium aut sextum, ceu *vultus fæminæ pulchri*
Aut *vultu pulchro.* Quandoque Synecdoche habebit

Rite locum quarto aut sexto: ceu *candida collum*
Aut *collo* : *misere doleo cor*, *cordeve* dices.
* Poscit *opus* sextum, tolerans quandoque secundum :
Vt *Mihi libro opus est*, at opus dux, Tullius inquit
Est nobis. Vt opus PLAVTVS sic vtitur vsus.

Opus pro necessario quot modis capitur? Duobus modis. 1. substantive, & duobus modis construitur, viz. cum genitivo. Ovid. Non minor est virtus quam quærere parta tueri, Casus inest illic, hic erit artis opus. vel cum ablativo: Salust. Priusquã incipias consulto, vbi consulueris mature facto opus est. 2. Adiective & construitur cum substantivo in genere numero, & casu: vt. Dux est nobis opus. *Da auth. Vbi vsus capitur pro opus?* Plaut. in Asi. Viginti iam vsus est filio argẽti minis.

* Active signans verbale dabit genitivum cap: 11.
Mobile ceu quædam, quorum vix scitur origo.
* *Affinis*, *similis*, *communis*, *par*, *propriusque*, cap. 11.
Finitimus, *fidus*, *conterminus*, atque *superstes*,
Conscius, & *socius*, *conformis* sive *propinquus*,
Et *vicinus*, *amicus*, avet iungi his *alienus* :
Hæc casum ternum donabunt sive secundum,
Cætera queis damnum signabitur vtilitasve,
Cum terno pones. *Armis fer*, & *aptus ad arma*.
* Partitiva volunt genitivum : vt signa, gradusque cap. 11.
Pronomen, numerus duplex, adverbia quædam.
* Sit conforme genus partitio quando notatur, cap 11.
Ni collectivum, vel vox heteroclita detur.
Rectè etiam dices, *Quid agis dulcissime rerum*.
* Res similis generis medius gradus atque supremus cap. 11.
Poscunt, ille duas, hic plures vsque duabus.
* Sin minus ista aderunt, medio gradui dato sextum. cap. 11.
* Dat patrium aut sextum tibi *copia* sicut *egestas*, cap. 11. &
Plenus, *inops*, *saturat*, cum fratribus, *implet abundat*, 12.
Atque *egeo*, *careo*, testes quibus adiice *sanus*,
Et *miser* & *dignus*, cum pluribus & bene multa
Verba, velut *crucio*, cum *pendeo lator*, & *ango*,
Desipio, *abstineo*, *potior* sic ponis *aloque*.
Indoleo, *recreo*, quæ pluraque prosa recludet.
* Dat patrium aut quartum *fastidio*, sed mage quartum .cap. 18.
Dic satago rerum. Patrium aut dantem *misereri*; cap. 18.
Sed mage vult patrium. *Dominor* dat rite dativum :
In sacris etiam patrium, velut *auxiliari*.
Grammaticæ leges plerumque Ecclesia sprevit:
Tu vivendo bonos, legendo sequare peritos,

cap. 18. * *Accuso, damno, moneo, contraria laudo,*
Criminis aut *pœna*, vel *laudis* habento ſecundum
Aut ſextum. Sed VALLA dedit tantummodo ſextis
Altero, & *ambobus*, *neutro*, vel *vtro*, vel *vtroque*.
cap. 18. * Verba volunt ſexto pretium. Ponas ſine ſixo
In patrio, *pluris*, *tanti*, *quanti*, atque *minoris*,
Cum fixo in ſexto. Raro quartum *valeo* vult.
Vilius & *melius*, *peius*, vel *carius emi*,
VALLA negat rectè dici per nomina poſſe.
cap. 18. * *AEſtimo*, *curo*, *puto*, *facio*, cum *conſulo*, *duco*,
Pendo, *habeo*; *refert*, *eſt*, *inter*, & *eſt* bene iungo,
Ante dabunt dictos patrios, cum *plurimi* & *æqui*
Et *parvi*, *nihili*, *nauci*, *flocciqne*, *bonique*,
Magni, *infiniti*, *maioris*, *maximi*, & *aſſis*,
Et minimi, *multi*. Quædam bene ponito ſexto.
cap 18. * Pauca Recordandi. patrium, quartumve requirunt:
Vt *memini*, *memoror*: ſic *obliviſcor* habetur.
cap. 18. * *Refert*, *inter*, & *eſt*, *eſt* ſignans commoditatem,
Officiumve, petit quoſvis patrios, niſi ſeptem:
Refert, *Inter*, & *eſt*, *noſtraque*, *meaque* referto
Cum reliquis. Capiet *cuia* vel *cuius* vtrumque:
Eſt *noſtrum*, *veſtrum*, *meumque*, *tuumque*, *ſuumque*.
cap. 18. * *Pœnitet*, & *tædet*, *miſeret*, *pudet*, & *piget* optant
Accuſativum patientem cum genitivo.
vide quæſtiones lib. primi, vbi de præpoſitione. * Sæpe *tenus* patrium numero præeunte carentem,
Aut res ſignantem geminas, vult Valla tenere.
Vult *ad* cum ſociis quartum, velut *abſque* Latinum.
Sub, *ſuper*, *in ſubter*, caſui iunguntur vtrique
In vario ſenſu: facilis docet omnia proſa.
cap. 29. * Quæſtio ſi fiat per vbi, nomenque prioris
Sit numeri & proprium, ceu primæ ſive ſecundæ
In patrio dabo quando locum deſigno minorem,
Militiæ, *belli*, atque *domi*, ſic ponis *humique*,
Addimus interdum dictis *terræque*, *togæque*.
cap. 29. * Si ternæ nomen fuerit, numerive ſecundi,
Cum *ruri* dabitur terno aut ſexto, mage terno.
cap 29. * Tu ſextum caſum ſi quando per vnde rogaris,
Aut qua, reſponde. Si per quo ponito quartum,
videqnæſtiones pronominis in libro 1. In propriis: quibus vſque cupit rus cum domus addi.
Barbarus haud fies apponens præpoſitiuras.
* Ille quidem laudat, contemnit & iſte viciſſim,
Reſpicit hic propius, ſed quod magis ille remotum.

[F]ixa ' dabunt ternum substantivo mediante Cap. 19.
Verbo: quod per *habet* contingit sæpe resolvi.
Ternum pro quarto aut sexto cum præpositivis cap. 19.
...nimus. *It clamor Cœlo Mihi filia cura est.*
...*r tibi despicior? Nunc omnibus itur ad aurum.*
Acquisitivè si ponas verba, dativum cap. 19.
...is dato. Communis ferme omnibus esto dativus.
Tertius est verbis proprius natis, *fore*, *sum*, *fit*; cap. 19.
...*que* manente facit: poscunt hunc sæpe *per*, *ob*, *con*,
...*nte*, *sub*, *inter*, *ad*, *in*, *post*, *præ*, coniuncta quibus do,
...*ccurro*, *faveo*, *studeo*, *medeorque*; & *adulor*,
...*uxilior*, *famulor*, *noceo*, sed dat *iuvo* quartum:
...*areo*, *præsideo*, *pugno*, cum *parcere grator*.
...uæque frequenter erunt impersonalia iunge
...*ntingit*, *restat*, *placet*, *evenit*, *accidit*, & *fit*,
...*fficit*, & *constat*, *libet*, & *liquet*, & *dolet*, adde
...is *vacat*, & *conducit*, & *expedit*, & *licet*, atque
...*nvenit*, & *prastat*, sed dicito *pertinet ad me*,
...*rtinet*, & *spectat*, rectè coniungimus isti,
...ulta regunt ternum, quibus haud est regula certa.

Ante volunt quartum verba, infinita suorum Cap. 20.
Post casum. Præ nulla supina gerundia nulla & 24.
...ant casum, dabitur verbi post casus agentis, cap. 25.
... fit iu u: Post nil capit hoc, vult mobile præ se. cap. 26.
...st etiam sequitur sua participans bene verba. cap. 27.
...m regimen fit idem, si significatio par sit. cap 23.
Omne dat activum, tolle *interdicere* quartum: cap. 20.
...c verbum sextum pro quarto sæpius optat.
Celo, *rogo*, *doceo*, geminant: vt, *vestio* quartos cap. 20.
...versos: dices *veniam* quoque *poscimus abs te*:
...*duo veste patrem* dic, aut *vestem induo patri*
...*m tibi*, vel *de re te celo*, dicimus apte
... *doceo de Grammatica*, tu dicito parce.
Delectat, *decet*, atque *iuvat*, da quarto & *oportet*. cap. 20.
Compositum quandoque dabit sibi præpositurae
...sum: Quocirca quartum, sextumque dat *exit*.
...pe quidem docti repetunt bene præposituram,

...*do exempla vbi compositum re-* ... *casum præpositionis regentis* ...*usativum?* Vt, adeo Petrum, ...cun sistimus magistrum, Cede

exempla vbi regunt ablativum? Vt, egredior domo, exeo vrbe. *Quando regunt exeo & egredior accusativum?* Cum comperiun-

tur cum præpositione extra: vt, exeo vrbem, egredior domum. *Quando regunt ablativum?* Cum componuntur cum præpositionib. ex & e: vt, exeo vrbe, egredior domo. *Cedo exempla vbi repetitur præpositio cum suis compositis?* Vt, Cicero: extra cancellos egredi conabat: Terent. ait In amore hæc omnia insunt vitia:

5 Æquivalens geminis, harum si iungitur vni
Dictio, pro reliqua tantummodo debet haberi.

Dic sensum regulæ? Dictio habens significationem duarum dictionum, si ipsi altera illarum iũgatur capitur solum pro reliqua dictione cui non iungitur: vt, insum in lectione, id est sum in lectione. Parvum opusculum, id est parvum opus.

cap. 30. 6 Quam poscendo, diu, quartum vel ponito sextum
Cum quovis verbo: secus ablativus adesto.
cap. 30. 7 Quantum sit spatium, quarto vel dicito sexto,
Ast vbi quid factum, sexto tantummodo prome.
Cap. 21. NAtura faciens regitur sine præpositura,
In sexto à verbis permultis mobilibusque
Sic dabis efficiens quodcunque, modo bene possis,
Hoc, *per*, *præ*, *propter*, reserare: *Pudore tacemus*,
Te virtute colo. Tardus senio, Gravis ære,
Rex dono CHRISTI divino numine præsul.
cap. 21. 2 Materies ex qua raro sine præpositura
Ponitur: vt, *Fulvo nummos cudit faber auro*.
caP. 21. 3 Materiam, circa quam proprietas habet *esse*,
Mobile cum verbo sexto capit: *auctus honore*,
Lacteque distentus: sic adiectiva dabuntur
Plurima, cum verbis, *fungor*, *vescor*, *fruor*, *vtor*,
Victito, *fraudo*, *beo*, *dono*, *afficio*, *colo*, *sterno*.
Cum multis iunges, quæ prosa recludit abunde.
cap. 21. 4 Forma, modusve datur per casum rite latinum.
cap. 13. 5 Mobile vel verbum mensuram dat sibi quarto
Vel sexto, *longus tres ulnas*, Vel *tribus ulnis*.
cap. 21. 6 Mensuram excessus verbum, vel mobile sexto
Optat: vt, *excedo digito*, *pede longior vno*.
cap. 21. 7 Passivis sextum dabimus cum præpositura;
A vel *ab*, *Accipiens* sic *do*, *distans*, *removensque*.
Sic *alius* ponas, & quæ conformia noris.
cap. 21. 8 Instrumenta dabis sextis sine præpositura.
Absque regente duos sextos bene pone sequelæ.
Discunt discipuli, *me præceptore docente*.

Cur hi casus dicuntur ablatiui sequela seu consequentia? Quia aliquid ex his denotatur sequi. *Cur dicuntur ablatiui absoluti, vel absolute positi?* Quia non reguntur ab aliis dictionibus: vt, Sole lucēte evanescūnt tenebræ. *Quomodo resoluuntur hi casus?* Per dum, donec, & quia. *Quales sunt hi ablatiui secundum alios?* Sunt ablativi denotantes speciem temporis, & à verbis regūtur, cum respondetur ad quæstionem factam per quando. Vide caput 30.

Optandi debent adverbia sive vocandi, Cap. 32.
Sumere principium: veluti interiectio sæpe.
Ecce, age, & *heus. Post hæc casum decet addere quintum.*
Hinc rectum sequitur verbum. Tibi sit generalis
Regula: Quæ à tergo regitur vult dictio cuncta
Postponi: Si quid declarat iuris idem sit.
Si quid sit tacite positum supplere iubebo.
* Quod *rogat*, atque *refert*, & habet quod vim referentis, cap. 32.
Vt quod verba petit semper duo, *dum, quia, donec,*
Atque *negans* præit, ob logicam mutabitur ordo
Præcedens semper præponitur & referenti.

FINIS.

ERRATA TYPOGRAPHIÆ PRÆCIPVA.

In Pagina 3. Columna 2. Linea 15. pro sub quibus sensibus, lege, *sub quos sensus*. In pag. 12 col. 1. lin. vltima, pro ille ipse, lege invna voce, *illeipse*. In pag. 17. c. 2: l: 10. pro naturale *neutrale*. In pag. 31. col. 2. lin. 22 pro Cumanum, *Cumarum*. In lib. 2. pag. 40. col. 1. lin. 6. pro essleniali, *essentiali*: In lin. 33. intersere has voces. *Quid est convenientia? Est quando vna dictio convenit cum alia in aliquo quod est vtrique commune* In pag: 41: col: 2: lin: 20; pro eertum *certum*: In pag: 46: col: 2: lin: 18: *men* delenda: est: In pag 47: c: 2: l: 3 pro vetuperii *vitupe-rii*: in pag: 53: col: 2: lin: 17, pro natutralis *naturalis*: In pag: 54: col: 1: lin: 19: pro quo genitivi, *qui genitivi*: In pag: 63: col: 2: lin: 27, pro vocabulam, *vocabulum*: In pag: 64: col: 1: lin: 2: litera (ſ) deleatur: In pag: 71: col: 2: lin:, 30 pro præpitus *præditus* In pag: 81: col: 1: lin 37: pro impersonale *personale*: In pag 82: col: 1: lin: 13: pro recte *recta*.

FINIS.

PRIVILEGII REGALIS SUMMA.

REGIÆ Majestatis privilegio cautum est, ne quis proximo decennio citra voluntatem GEORGII LIGHTBODII ullo modo imprimat, vel alibi impressum in suas ditiones importet, venalemve habeat libros quæstionum grammaticæ ab ipso conscriptos, sub pæna confiscationis eorundem: ut latius patet in prædicto privilegio. Apud *whithal*, dato Julij undecimo: Anno DOMINI, 1628.

